

NAZIONALE
13
20 H
3
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE





LEGALES CONGRESSVS

OPVS

Non minus vtile, quàm iucundum.


AVCTORE GRATIOSO VBERTO

Cæsenate, I. V. D.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

FRANCISCVM BARBERINVM

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.



ROMAE, Apud Ludouicum Grignanum. MDCXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Die 20 Aprilis 1630

Monasterii S.ti Praxedis Romae an 1841.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Legales Congressus Adm. Ill. ac Excell. D. Gratiosi Vberti, ita concedente Reuerendiss. P. Nicolao Riccardo Magistro Sacri Palatij Apostolici, legi, diligenterq. examinaui, nihilq. reperi, quod vel bonis moribus, vel Catholicæ religioni aduersetur. Immo omnia singulari methodo ita digesta, vt mira cum facilitate difficultates omnes, quæ circa originem, & progressum Iuris, vel antiquitus propositas, vel recenter introductas, iam dissoluat; vt nihil dubij amplius supersit. & ideò publici Iuris fieri posse cẽseo. Romæ 13. Kal. Iunij 1629.

Ita est Angelus Lucianus I.V.D. & in Gymnasio Almæ Vrbis Pontificij Iuris professor in prima sede horis promeridianis, manu propria.

Imprimatur. *Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apostol. Magist. Ord. Prædic.*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO BARBERINO
S.R.E. CARDINALI,
ET
VRBANI VIII.
FRATRIS FILIO.

GRATIOSVS VBERTVS. F.



DEREM, ne (CARDINALIS AMPLISSIME) Legales Congressus, anceps eram. Verebar opus tenui ingenio, & horis furtiuis cõpositum, exhibere. Non audebam, foro versans, librum offerre vacuum rebus illis, quæ ad causas agendas pertinent. At dolebam laboris interitũ. Mecum ipse recolebam tempora illa, quibus legum causas, iurisq. rationes meditari fas erat. Vi-

debam multa in libro congesta ad conseruandam, in litibus agendis, integritatem, non parùm conferre. Iussit ratio, librum exire, & honestos labores subijci studiosorum oculis, omni procul molestia, & obscuritate. Parendum fuit. Petit lucem, qui diù latuit; & quasi fracto obliuionis vinculo, libertatem Proclamat: Confugit ad statuam Principis. Tu igitur VRBANI Nepos, Principis Imago, seruum excipe, & luce custodi. & Qui Princeps rerum est omnium, te suauissimi Regiminis Principem diutissimè conseruet.

A V-



AVCTOR
AD LECTOREM.



TII, & animi cauſa libellum compoſui. Edidi autem, non vt futurus ſit teſtis alicuius Studij, vel doctrinæ: ſed honeſtæ occupationis, & voluntatis. Benigne Lector excuſationem peto, non laudem: abſit igitur vt neges. Vale.

LIBELLVS AD LECTOREM.



Valis Ego fuerim, tu neſcis, an albus, an ater:
Extat res omnis decolor in tenebris.
Exurgunt formæ, cernuntur luce colores:
Et maculas rerum condit amica manus.
Proferor in lucem, qui longa nocte quieui:
Contege tu mendas, Lector amice, meas.

ARGVMENTVM
PRIMI CONGRESSVS.

A R-

ARGVMENTVM
SECVNDI CONGRESSVS.

ARGVMENTVM
TERTII CONGRESSVS.

X De


ARGVMENTVM
QVARTI CONGRESSVS.



A R-

ARGVMENTVM QVINTI CONGRESSVS.

rerum



A R-

ARGVMENTVM
SEXTI CONGRESSVS.

AR-

ARGVMENTVM
SEPTIMI CONGRESSVS.

XVII. Red-

AR-

ARGVMENTVM
OCTAVI CONGRESSVS.

XIV. Præ-



AR-

ARGVMENTVM NONI, ET VLTIMI CONGRESSVS.

XXVI. De



PRIMVS

PRIMVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Mau. IAM venit luci optatum tempus, quo vacare licet à publico legendi munere.

Luc. Venit Deo dante.

Mau. Equidem gaudeo, non quia nouerim, te ægrè vnquam tantum ponderis sustinuisse: sed quia te, non ita publico oneri alligatum, potero libentiùs, omni procul timore inferendæ molestiæ, alloqui.

I. Adit Maurus Præceptorē Lucium, vt quasdā difficultates cōceptas de legum studio tollat.

Luc. Omni tempore tu inter cęteros fuisti mihi gratissimus.

Mau. Non defuit tua benignitas: potui omni tempore alloqui, & interrogare, & mihi sæpè ac sæpiùs quærenti haud vnquam detrectasti responsum dare. Verùm habui nonnullis ab hinc diebus quoddam in mente, super quo tecum disserere exoptabam. videbam id, te grauioribus negocijs detento, minùs commodè accidere posse: in tempus vacationum distuli; quod cum extet, non possum non lætari.

Luc. Æquè, ac tu ipse lætor, si futurum sit, vt assequi valeam, quod semper volui, tibi scilicet inseruire, consulere tuis necessitatibus. dic igitur quicquid animo concepisti.

Mau. Tuam cognoui humanitatem: ea tamen nollem abuti.

Luc. Si me amas liberè dic, quæ dicere statuisti, nisi fortè summam, quam spero, iucunditatem, cun-

ctationis amaritudine tibi placeret temperare.

Mau. Parendum est. Quanto tempore legum studio, te Præceptore, operam dederim, optimè nosti; quem autem fructum perceperim, non video. tot sunt, quæ mentem meam torquent, terrentq. animum, vt aliquando nesciam vbi caput habeam. Sum pluries anceps, & perplexus velim nè studium legum prosequi, an deserere.

Luc. Sectanda sunt, Maure, quęcumq. optima sunt, & in eis laudabilius est deficere, quàm in vilioribus superare. Est studium legum cæterorum optimum, frequentissimum, ac celeberrimum.

Mau. Tetigisti plagam. audieram multos multa de legum laudibus decantauisse: & incitato satis, atque inflammato animo studio earum me commisi, sperans aliquando ad aliquod laudis felicitatisq. culmen, quod ipsi promittebant, peruenire. Sed concepta spe frustratus, quo magis procedo, longiùs, quod optabam, video abesse. multa occurrunt dubia, quæ velut obscuræ nubes claritati legum, quæ tantum celebratur, officiunt; mihiq. sese opponunt tot contraria, vt quasi ictu hostium perterritus, necessè habeam aut retrogradi, aut medio itinere deficere.

Luc. Non desunt in hoc nostro legum studio difficultates, anfractus, & labyrinthi penè inextricabiles; ob id tamen deserendum nonnisi illi affirmarent, quos animi secordia, & inertia triumphatricis gloriæ expertes facit. tu ex illorum turba non es, qui solummodo ardua prospiciendo pauent. expertus sum, tibi non omnia, vt inquiunt, strepere; audiam libenter quid dicturus sis.

Mau.

Man. Iamdiù de legum ſtudio, non ſecus, ac alij, ipſe quoque benè ſentiebam, & quamuis ab initio, quaſi procul, nullum fructum perciperem, nullum comprehenderem laboris exitum, nullam veritatis imaginē proſpicerem; mihi tamen ipſe minimè diffidens ſperabam fore, vt temporis diuturnitas, aſſiduus labor, Præceptorum ſolertia, copia librorum, & recta ſtudendi methodus, ingenij mei vires firmarent, fugarent tenebras intellectus, mentemq. legalis ſcientiæ ſeminibus imbuerent; & quaſi viam expurgarent à ſpinis, ſaxis, & ruderibus difficultatum, adeò, vt exitus aliquando videretur. Sed, proh dolor, ſpes me fefellit. quantò magis elaborabam, eò magis elaborandum cognoſcebam: quantò magis progrediebar, eò magis aberam. Putabam quaſi ad vellus aureum aſpirare, ſed inania quæritaſſe, ſumma cum animi moleſtia ſentio. vndè cœpi mecum dubitare, nè legibus operam dantes, velut vmbram ſectaremur, quæ ſemper fugit, nunquamq. poteſt apprehendi.

Et ex ijs, quæ de legum ſtudio dici ſolent, nihil verum puto; niſi quòd ſit mare magnum: illud enim intueor, quaſi mare turgidum, & procelloſum, quo miſeri nauigantes, aſsiduis fluctibus modò huc, modò illuc miſerè vexantur. Quinque Naues conſpicio; Prima eſt miſerorum ſubditorum, qui dum curſum dirigunt ad optatum felicitatis portum, dum putant quietè, & pacatè viuere, ecce frementes fluctus aggrediuntur; variæ ſcilicet, & dubiæ tantarum legum permiſſiones, prohibitiones, ſanctiones, puniciones, quæ reflectunt miſeram nauem, agitant

II. Conſiderat Maur. legum ſtudiū quaſi mare, & cōſpicit quinque Naues.

ipsorum mentes,animos torquent, libertatem impediunt, insidiantur vitæ; quare amissam deplorant libertatem, de damnis conqueruntur, furentes procellas non sperant euadere, salsosq. potus iam haustos euomere. nullum remedium superest, nisi fremere,stridere,vlulare. Altera est litigatorum hoc mare sulcantium inueniendi gratia lapillos, & margaritas: recuperãdi scilicet,vel tuendi propria bona. Sed, heù miseros, ecce consulentium Aduocatorum figmenta, cauillationes Procuratorum, Notariorum technæ, quasi vehementes, & terribiles procellæ ita concutiunt miseram nauem, ita nauigantes miseros angunt, vt gemebundi propè lethum videntes, cogantur nauem leuare, & preciosiora, quæ secum habent, proijcere; & si qui euadunt, si qui in Iudicijs victores existunt, pro luculenta, quam fecerunt, iactura exiguum quid reportant. Tertia est eorum, qui in Iudicio versantur, quales sunt Notarij, Procuratores, Aduocati, Iudices, quorum ferè nemo videtur esse, qui inexplebili voracitate in miseros litigantes impetum non faciat, eosq. quasi piratarum more,non deprędetur. Quarta exoritur medio mare longa Iuris professorum Nauis, qui dum veritatis, & iustitiæ portum attingere quærunt, tanta rerum difficultate, multitudine legum,opinionumq. confusione,velut ęstuantibus fluctibus huc illucq.exagitantur,vt quasi inter vitæ mortisq. vias constituti,multis premantur curis, multis vexentur solicitudinibus. Tandem non procul à litore vltima Nauis est, quam Iuuenum legum studiosorum turba spe honoris, & vtilitatis conscendit, qui, vt noscunt incerto, & refluen-

fluentibus vndis ſtridenti pelago ferri, vtq. vident à longè alteram, quam cōſectantur, iuris profeſſorum, nauem miſerè iactari, & ferè ſubmergi, ingenti perturbantur timore, & omninò perterriti & exanimati ſtatuunt ad terras, quas poſt terga reliquerunt, quamprimum redire. quorum vnus ego ſum, qui ſciens prudentis eſſe periculum, quod cernitur, euitare, ſtatuo vlteriùs non ſulcare: quàm maxima enim dementia eſſet, velle æſtuantibus fluctibus immergi, angi difficultatibus inextricabilibus.

Luc. Circà litora magis, quàm in alto deprehenduntur, & maiores videntur motus maris. vndè non miror, ſi quaſi à longè hoc legum mare tàm procelloſum iudicaueris. mare turbatum author eſt Plinius lib. 2. cap. 103. oleo tranquillari, & lib. 28. cap. 7. fœmina connudata tempeſtates abigi. cui adſcribo, ſciens multos recta ſtudendi ratione, & methodo, velut oleo, viam facilem, & tutam in legali ſcientia ſibi feciſſe, & pura mente, integròq. animo, ſemotis proprijs, & aliorum paſſionibus, veluti fœmina connudata, tempeſtates exortas repuliſſe, diluiſſe cauillantium fallacias, calumniantium fucata argumenta, erroneas opiniones; & tandem veritatis, & iuſtitiæ portum omnibus procul ſcopulis, feliciter attigiſſe. tuta ſanè vtiliſq. eſt hæc nauigatio; quandoquidem iure medio capiuntur piſces, homines ſcilicet improbi puniuntur; inueniuntur lapilli, & margaritæ; bonum, videlicet, & æquum dignoſcitur. huc illucq. aſportantur precioſæ merces, locorumq. neceſsitatibus ſuccurritur. multa videlicet de nouo inſtituuntur, inſtituta vetera modò tolluntur, modò exten-

duntur; ſicq. humanis neceſſitatibus ſuccurritur, vt verè dicere poſſimus, quod in adagio eſt, mare proluit omnia mortalium mala. putant nonnulli morſos à cane rabido, ſi nouies mergantur in mare, à rabie liberari. de quo nobis ambigendum non eſt, cum certè ſciamus, ab iniquis oppreſſos, à rapacibus ſpoliatos, ab aſtutis deceptos, ſi clarè de iuribus eorum docuerint, legum remedio releuari, reſtitui, redintegrari. quod ſi ſecùs quandoq. accidere videatur, improbitati hominum potiùs, quàm legibus tribuendum eſt; nemo enim putaret medendi artem damnandam, ſi quis eam ad hominum pernitiem conuerteret: ſed ſolius abutentis Medici vitium damnaretur.

III. Suadet Lucius ſtudia non eſſe deſerenda.

Nolo itaque, vt ab incepto deſiſtas, ſed pergas conſtanti firmoq. animo euaſurus anguſtias, & ſcopulos, quorum tandem iuuabit meminiſſe. inquiunt multi cognitu rariſſimum eſſe, naues in alto periiſſe, ſed propè litora ſæpiùs naufragia cerni. itaq. magis expedit, in altum longiſsimè refugiendo, periculum euitare; quàm, litus petendo, naufragium facere.

Man. Quodnam periculi, naufragijq. genus modò confingis?

Luc. Vera dicam, quæ experientia docet. multi ſunt iuuenes, qui à ſtudijs eorum operam, & induſtriam libentiùs aliò traducunt, putantes illis procul laboribus, & incommodis, quæ ſecum afferunt literarum ſtudia, ſe honeſtiori, & feliciori vita potituros. ſed res non ex eorum animi ſententia ſuccedit. ſtatim voluptatum illecebris illecti, & deliniti,

in

in vitia, in syrenum scopulos offendunt, vt mirabile sit, si periculosissimis illius ætatis fluctibus non depereant. qui verò euadunt, aut ocio, aut socordia, quæ acriter ab omnibus damnata est, degunt, nihil prorsus agentes, quo se homines testentur. aut in struendis, cumulandisq. opibus, quæ pertinent ad solius corporis cultum, ita inhærent, vt sibi renunciare, & hominis nomen abijcere videantur. In quem errorem non prolaberentur, si iuxta Apollinis responsum, seipsos cognoscerent. si, inquam, conspicerent, hominem non esse corpus, sed animum.

Mau. Quid ais?

Luc. Probabiliter dicam. illud, quod aliqua re vtitur, ab eo, quo vtitur, aliud est. homines vtuntur partibus sui corporis, vt manibus, pedibusq. ergò aliud est homo, & aliud corpus, adeò vt quãtum inter artificẽ, & instrumentum interest, tantum inter hominem, & corpus interesse videatur. quòd si, inquam, existimarent, hominem, esse animum, corpus autem quasi vas, & aliquod animi receptaculum. non ita pro huius corporis cultu elaborarent, vt seipsos, animum scilicet obliuiscerentur. neque ita studia proijcerent, vt animum, qui studijs alitur, incultum iacere, ieiunumq. languescere paterentur. sed hæc dicta sint iuxta sententiam Platonis in lib. 25. de amore, quæ ad hoc maximè confert.

Mau. Moritur nè homo sine studijs? IV.

Luc. Ita quidem, vt non remaneat, nisi corpus, quod colitur vti cadauer, & nõ agit quod hominis est. docent sacrę literæ, summum rerum omnium opificem

Probat studia prodesse aduersus sensualitatẽ, fortunam, inuidiã, & mortẽ

Deum, perfecta hac propter hominē mundi machina hominem deniq. propter semetipsum creasse, tanquam diuini templi antistitem, spectatorem operum cælestium: idcircò inter cætera, inquiunt, animalia eum solùm rectum corpore, statu, oreq. sublimi fecit: vt cælum Dei conditoris sedem intueretur. consilio & mente instruxit. vt eius diuina opera admiraretur, virtutem, potestatemq. prospiceret. sermonem soli dedit, ac linguam cogitationis interpretem: vt maiestatem Domini sui enarraret. postremò ei cuncta subiecit. vt factori, atque artifici Deo esset ipse subiectus. quæ officia, nonnisi studiorum auxilio ab hominibus potuisse præstari, sentio.

Mau. Ad quid igitur anima tot potentijs prædita?

Luc. Anima, quamuis ab immortali Deo perfecta infundatur multiplici facultate, ea tamen huius terrei corporis mole irretitur, & circūfunditur sic prorsus, vt nisi studiorum auxilio iuuetur, ac proferatur; quasi lumen absconditum non resplendeat, quasi gēma sordibus affecta vilescat, quasi is, qui vinculis habet manus impeditas non se exerceat, & quasi is, qui aliqua mole obrutus est, sui ipsius obliuiscatur. si homines huic animæ studiorum opem denegassent, nihil prodesset appetendi, cognoscendiq. facultas; appeterent ea, quæ soli subiacent sensui: cognoscerent quæ cætera non prætereunt animantia. scirent præterita, quæ sibi tantum contigissent; futura non præuiderent, cuperent quæ sibi bona falsò viderentur. non cognoscerent Deum, de diuinis non disererent. nescirent rerum causas, quid bonum, quid vtile, quid honestum iustumq. sit, non addi-

addiscerent; atque, vti primi illi homines, qui se benè intelligere nedum cœperant, in agris passim, bestiarum more, vagarentur, sibi victu ferino vitam propagarent: nec ratione animi quicquam, sed pleraq. solis viribus corporis sibi administrarent.

Mau. Nõ ita rudes sunt nostrę ætatis homines. quisq. præstare putat, quod hominis est, omni procul literarum studio.

Luc. Animus noster scientiam appetit, sicuti corpus cibum: Omnes enim homines, vt ait Arist. 1. Metaphysic. natura scire desiderant. & sicut corpus cibo crescit, ita animus scientia: hinc dicit D. Augustinus de quantitate animæ, cap. 19. quemadmodum triplex est corporis incrementum, vnum necessarium, quo naturalis conuenientia impletur in membris; alterum superfluum, quando accidunt, quæ nimia sunt, & monstruosa, vt sextus digitus in manu; & tertium noxium, quando accidunt quæ bonam expugnant valetudinem, sicuti tumor. ita triplex est animi incrementum; necessarium, quando augetur animus honestis & ad benè beatèq. viuendum accomodatis disciplinis. superfluum, quando augetur animus scientia eorum, quæ mirabilia sunt, non tamen vtilia. noxium verò quando augetur scientijs illis, quæ bonam expugnant valetudinem. hinc videmus, quòd præclara literarum studia simulatque homines colere incipiunt, titillatione quadam honestissimæ voluptatis alliciuntur. illecti saluberrima præcepta percipiunt, non tantum benedicendi, verùm etiam benè viuendi ingrediuntur vias; igniculisq. gloriæ, quibus animus accenditur excitatis,

quan-

quantus sit in virtute splendor, quanta in vitijs deformitas, addiscunt. atque ita laudabiliter vitam instituunt, vt mentem pulcherrima, atque honestissima plurimarum rerum, quæ ad vsum vitæ pertinent, cognitione compleant; & animum virtutis, & honestatis studio excolant; & quicquid voluptatis titillatione perficitur, quicquid corpus oblectat, quicquid deniq. impura, ac nefaria oblectatione sensum, animumq. permulcet, summa cum laude effugiant.

Mau. Deus bone, quot, quantiq. reperti sunt, qui, etsi literis claruerint, ita tamen vitiorum cœno polluti visi sunt, vt dubium fuerit, an maiorem ex studijs laudem sibi comparauerint; an potiùs ob eorum animi prauitatem, venerint in maiorem hominum vituperationem?

Luc. Proni sunt hominum sensus, & cogitationes, ab ipsis penè incunabilis, ad malum: Sic prorsus, vt vitia, non vsu didicisse, non cum nutrici lacte suxisse; sed cum ipsa exoriente natura penitùs traxisse videatur. quamobrem si lutosam viam faciliùs pertranseunt, qui baculo stabiliunt gradum, fateri necesse est, eos, qui studijs quasi scipione nituntur, faciliùs vitiorum limum, quo tota hæc vitæ via infecta est, euitare: nam si sepositis illis, quasi baculo deiecto, pertransire auderent, modò vno, modò altero sæpiùs prolabentes pede, non sine magno periculo, & dedecore exciderent, excontaminarentur. afferunt studia hominibus tantùm præsidij, vt sensualitatem, quæ belluina pars est, ad flagitia malaq. omnia omnibus horis propensa, nedum cohibeant; & imperio rationis subijciant, sed etiam, vt graues fortunæ ictus facil-

facillimè ferant, inuidiæ morsus euitent, euadant mortis tenebras.

Mau. Si verum sit, multum iuuant.

Luc. Etsi fortuna potens fortisq. sit, vt eos, quibus aduersatur, nullo ferè negocio euertat: attamen, si cum virtute insignito, & literis armato dimicet, tantam vim patitur; ita eius furor, & audacia comprimitur, vt deuicta cedere, & alteram faciem (illam enim antiqui vates dixere Bifrontem) vertere, & ostendere compellatur. Quod multorum exemplo confirmari potest, Socratis scilicet, Xenophontis, Anaxagoræ, Zenonis, Catonis, aliorumq. studiosorum virorum, quos nullis vnquam mutatos fuisse casibus; nulli succubuisse calamitati, ex historiarũ monumentis percipimus.

Mau. Id euenire solet hominibus quibusdam, qui studijs intenti negligunt seipsos, & mundum.

Luc. Laudandi sunt isti viri. & quæcunque fortunæ subiacent imperio, tanquam terrena, & fragilia despicere, & nulla eorum mutatione commoueri, laudabilis est sapientia, & fortitudo quam maxima. Sed neque minùs laudabilis est prudentia aduersus inuidorum detractorum, ac malignantium rabiem, morsusq. se tueri: qui cum muribus minimè sint dissimiles, alienum cibum, alienam famam semper rodere, & deturpare contendunt. res quidem eis succedit, si ignauos, simplicesq. homines persequantur; at si proponant sibi prudentes, eruditosq. viros, tanquam scopulum, ad quem sagittas suas dirigãt: quod volunt, non assequuntur; sed, velut retractis eisdẽ sagittis, feriuntur. dum scilicet illi se corrigẽtes, & magis cautè se gerẽtes, à vitiorũ rete, qua se maior pars

ho-

hominum inuoluit, ſecedentes, per viam honoris, & virtutis feliciſſimè progrediuntur. vndè fit, vt eorum gloria, quam obtrectantes delere quærebant, viuidiore magis lacerentur.

Mau. Cum autem ſentiunt ſe iniuſtè morderi, quid agunt?

Luc. Tacitè ſinunt eorum inſolentiam tranſcurrere, vt intelligant ab ſe aſpernari, tanquam odioſi, & indigni, qui ab aliquo ſpectentur. quod inuidorum eſt ſuppliciũ tale, vt præ dolore, quaſi rabidi canes ſemper baubari, & conſumi videantur.

Mau. Quid ſi inuadunt eos, qui literarum ſtudia neglexerunt?

Luc. De eis magno faſtu triumphant.

Mau. At ego ſemper vidi maledicos, & obtrectantes durioribus, quàm ſtudiorum armis percuti, & proſterni.

Luc. Aliud eſt, quod inuaſus ſe defendat, ne lędatur, & aliud, quod offenſus quærere debeat occaſionem vindictæ; quæ tametſi dolorem minuat, vulnus tamen non tollit.

Mau Supereſt, vt dicas, quid proſint ſtudia aduerſus mortem.

Luc. Eruditi homines virtutis clypeo muniti mortis faciem non horrent; immò tanta fiducia, & animi alacritate eam obeunt; ita fortiter digladiantur, vt ferè perterrita, contra eos ſua arma, ſuam inuidiam exercere non audeat. Ignauos autem, & deſides proſternit, & inculcat. miſeri ſemper mortis excruciantur timore. nunquam quieto animo viuunt, inuaſi tandem intereunt prorſus, obliuionisq; putredine cor-

corrumpuntur, qui, si studijs, quasi balsamo, scirent se aduersus mortem obliuionisq; putredinem tutos fore, eam non metuerent: quippè quę claudit officinam miseriarum, laboribus,& malis finem imponit; sed potiùs summa fiducia, & gaudio obirent; quod multos fecisse legimus, quorum nomen, & fama minimè læsa perpetuò viuit, & celebratur. Dijs assimilari eos, qui mortem non timent, sensit Seneca in Agamemnone, dicens:

Qui vultus Acherontis atri,
Qui Stygia tristem non tristis videt,
Audetq. vitæ ponere finem,
Par ille Regi, par superis erit.

Qui literarum studijs se dedere, vt occidant, paruo & lare, humiliq. iaceant angulo obscuræ domus; nulla est eorum obliuio; nullus locus ignarus eorum nominis; est mortuus quis? viuit. est absens? adest, perq. ora volitat omnium: atque illis est quies quam dulcis, & secura.

Man. Occurrunt nè alia de laudibus studiorum?

Luc. Longè plura; sed deficeret dies. Hoc vnum dicam. si studia de mundo tollerentur, nec essent, qui rectè loquendi, rectèq; scribendi artem docerent; orandi præcepta traderent; animum componendi, scrutandi rerum naturam, ac benè disserendi rationem, medendi artem, moderatè, iustè, & religiosè viuendi, colendi superos, ac diuina contemplandi rationem docerēt: vniuersa hæc hominum societas destrueretur; & quasi diruta hac mundi machina, qui essent homines, quæ bruta dignosci nō posset: omnia

æquè

æquè vitiorum sordibus, & ignauiæ cœno oblita iacerent, & deprauata: hinc puto, Mityleneos non alia ratione consueuisse populis illis, quos deuicerant, pœnam hanc irrogare; ne liberos suos literas edocerent: nisi quia illis, velut iumentis, vti; eosq. seruili opere mancipare proponebant. & nemo est, qui nesciat, eas tantùm Ciuitates florere posse, in quibus literarum studia coluntur.

Mau. Sed qua ratione tot sunt Iuuenes, qui non student?

V. *Luc.* Tria sunt, quæ Iuuenum animos, vt plurimum solent à studijs abducere. quædam præsumptio, seù temeritas, labor, & diffidentia. nonnulli vento læuiores, vt se noscunt nobili genere natos, ita sibi placent; ita intumescunt, vt literarum studia colere, ac si indè emersura esset infamia, dedignentur.

Demonstrat tria Iuuenũ animos à studijs abducere.

Mau. Quid est, quod eos cogat marcescere studijs, & laboribus, si eorũ nobilitate excelsi sunt, & conspicui?

Luc. Imposita est maior necessitas colendi præclara studia ijs, qui claris parentibus nati sunt, ne scilicet alieno glorientur. ridicula enim iactantia est alienæ incumbere famæ. atque ne auorum splendor, & gloria maculas eorum detegeret, & ipsi plus criminis degeneres acciperent, quàm celebritatis. nobilitas maiorum posteros ad virtutes suo exemplo excitat, & quasi lumen est, quod neque bona eorum, neque mala patitur in occulto.

Mau. Sunt multi, qui putant sanum esse viuere procul laboribus, & angustijs: immò Medici consulunt nobilibus, vt tanquam delicatioris complexionis prætermittant labores, & studia.

Luc.

Luc. Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq. fines. & non omnia conſilia optima ſunt, ſed ea dumtaxat, quæ à ratione proueniunt. eiectis ſtudijs, fugatis laboribus, ocium ſuccederet; languerent animi, corpora torperent. Sic admonet Ouid. lib. 1. de Ponto.

Cernis, vt ignauum corrumpant ocia corpus?
Et capiant vitium, ni moueantur aquæ?

& dicebat Lucanus lib. 1. belli Ciuilis:

Variam dant ſemper ocia mentem.

illud autem, quod inter ſtudia,& labores recipitur, moderatum ocium, quantum animo proſit, & corpori, explicat idẽ Ouid. eod. lib. 1. de Ponto, dicens:

Ocia corpus alunt: Animus quoque paſcitur illis,
Immodicus contra carpit vtrumq. labor.

Mau. Hoc benè intellexi: proſequere.

Luc. Alij ſunt, qui eadem præſumptione ducti, cum ſint diuitijs ſatis inſtructi, vt ſe quieti delicijsq. tradere poſsint, ita contemnunt ſtudia, vt audeant dicere, quòd ſi eis operam nauarent, dementes viderentur. Sed verè delirant, ſiquidem nulla alia re ſuſpiciendi ſunt, quàm propter diuitias, quæ fortunæ ſunt. at fieri poteſt, vt fortuna, quod ſuum eſt, repoſcente, nudi remaneant, & deludantur inertes. habent hoc diuitiæ, vt ſtudia colendi non modò occaſionem, verùm etiam cauſam; neque cauſam tantùm, ſed etiam neceſsitatem afferant: quoniam ſi aliquid honoris diuitiæ afferant, afferunt tantùm ſi cum virtute coniungantur. Occurrunt tertij, qui excelſiore animo armorum tractationem, & militaris rei gloriam ſibi proponentes, literarum ſtudia ad ſe non pertinere ſentiunt: ac ſi eruditi homines in bello

muti

muti iacerent, & despicerentur. quod si scirent quātum in medio bellorum tumultu literæ valeant, nullis se diligentiùs armis munire, quàm literarum studio curarent. Iam dicam de alijs, quos præsumptio à studijs auertit. Sunt quidam, qui rei familiaris angustia pressi studia amplecti suum non esse existimant; quod si animaduerterent, permultos studiorum ope ad maximas diuitias peruenisse, certè non magis ad aliquam artem factitandam, quàm ad ea se conferrent. Qui verò labore deterrentur, & diffidentia, longè plures sunt. sed illi, quos labor deterret, intelligere deberent, quòd ea tantùm est grata voluptas, quæ labore percipitur. metalla, quæ summa tellure iacent, & facilè inueniuntur, paruo valent precio: sed quæ in fundo latent altè eruenda, & difficiliùs reperiuntur, æstimātur pluris. Chrysippus tanta studijs intētus perfruebatur voluptate, vt eum, tanquā extrà se positum, cibi potusq. caperet obliuio. Syracusanus Archimedes præ ea, quam ex studijs capiebat oblectatione, priùs hostilis gladij cuspidem in corpore excepit, quàm vrbem in hostium potestatem venisse sentiret. Demosthenes plus olei, quàm vini læto animo consumebat, atque extrema etiam senecta ad lucernulam illam suam, summa cum animi iucunditate, exercebatur. Illi verò, quos diffidentia exanimat, animaduertere deberent, quia prima sectantem, vt dicebat Cicero, honestum est etiam in secundis, tertijsq. consistere: non enim in Poetis Homero soli locus est, aut Archiloco, aut Sophocli, aut Pindaro, nec verò Aristotelem in Philosophia deterruit amplitudo Platonis; nec ipse

Ari-

Aristoteles in Philosophia, sicut nec Bartolus, nec Baldus in iure, cęterorũ studia restrinxerunt. Non est igitur, Maure, cur tua spes infringatur, & vilescat ingenium. absit, vt te labor, aut diffidẽtia deterreant. studia sequi debes, vt tua hac florida, atque æstuãte ætate studiorum præsidio firmata, efferentibus sese cupiditatibus frœna faciliùs iniicias; mentem pulcherrima, atque honestissima plurimarũ rerum, quę ad vsũ vitę pertinent, cognitione compleas; & tandẽ inconstantia fortunæ, obtrectantium insolentia, neglectaq. mortis inuidia, vitã hanc, summa cum laude traducas; & maiorum tuorũ nobilitatem, dignitatẽq. augeas; & facultates, quibus nõ indignus existis, generosè cõserues.

VI. Discutitur an vtilis sit disputatio de necessitate, & vtilitate studij legũ.

Mau. Hactenus non intelligo qua ratione debeam perdere oleum, & operam in studio legum: dum inuenio, nullam esse istarum legum necessitatem, nullam vtilitatem, iucunditatem nullam, nullam firmitatem, nullam certitudinem.

Luc. Neque ego intelligere possum, cur non idem de hoc studio sentias, quod de alijs: nõ enim video quid magis conferat ad id, ad quod nati sumus, quàm iuris prudentia diuinarum, atque humanarum rerũ notitia, iusti atque iniusti scientia; qua duce Deũ colimus, diligimus homines, auxiliamur patriæ, honestè viuimus, suum cuiq. tribuimus, amplectimur iustum, iniustum depellimus. sine ea non populi, non vrbes, nõ regna, non imperia stare possent: nõ ipsum deniq. humanum genus coalesceret. nihil prodesset nobilitas nobilibus, diuitibus diuitię, nisi iure medio improborũ impetus reprimerentur, punirẽtur nefarij, & quisq. in sua dignitate, decore, & felicitate conseruaretur.

Mau. Non ita sentio; & rationes afferã, quibus moueor.

Luc. Vix audeo hanc disputationem aggredi: quia dubito an id fieri possit sine rubore.

Mau. Non licet de hac re disputare?

Luc. Hæsito quidem.

Mau. Crederem honestam fore disputationem, dum solis rationibus, & authoritatibus contenderetur.

Luc. Equidem reor, parum licere hoc legum studiũ, quod longo vetustissimoq. maiorum nostrorum vsu comprobatum,& receptum est, in dubium reuocare, an vtile sit. Idq. vetusto more prætermisso, rationum, & authoritatum libra ponderare.

Mau. Cur ergò singulis annis,antequam intermissa studijs opera reddatur,habentur publicę orationes de legum laudibus; si de illis dubitare non liceat?

Luc. Hac eadẽ ratione sunt, qui existimant superuacaneum,& inutile esse studiorũ, legumvè laudes satis peruulgatas recensere;& incitare eos,qui suaptè cupiditate ad studia feruntur: non tamen verum est,quoniã rerum laudabilium cõmemoratio, quamuis vulgatissimarũ,iucunda est illis,qui eas adepti sunt:cæteros autẽ nõ parùm solet excitare. sciebãt optimè adolescẽtes Romani egregia prædecessorum facta;tamen seniores,non semel tantùm in conuiuijs carmine cõprehensa pangebant,quoad ea imitanda eorũ animos redderent alacriores.Astantium acclamationes cursu certantibus velocitatem, & quasi alas addunt. Equitantes nonnunquã spontè currentibus equis, quo celeriùs currant,subdunt stimulos,& calcaria.Rhetores in laudandis studijs,nullis cõtendunt argumentis;sed exemplo eorũ,qui literis claruerunt,adolescentiũ animos cõmouent.Tubicinę,& tympanistę ad optatã victoriã milites solo crepitu,&sono,tacitis bellorũ incõmo-

modis incitant,& inflāmant.Laudatur Tyrteus Poeta apud Platonem in lib.de legib.dial.1.quia fuit author victoriæ Lacedemoniorum aduersus Messenios;dum pugnantium animos carminibus ad bellum incendebat, laudando eos, qui in bello excelluerunt.

Mau. Dicam liberè quod sentio;id agunt ex industria mercatorum more: qui nugis quamplurimis cælant merciū maculas, quò magis deludāt incautos emptores. qua arte Iustinianus,vt mihi videtur,vsus fuit:qui incautam,suaptèq.natura cupidam iuuentutē vt hortaretur ad legū studia; obtulit librum Institutionū,vt liceret,inquit ipse,prima legum Cunabula,non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore. & nihilominus ipse fatetur, in eodem libro collectū esse omne ius antiquum,& expositum quod anteà obtinebat: ergò easdē antiquas fabulas tradidit, quāuis preciosiora tradere profiteatur. nisi fallor,quantò magis legum laudes oppugnarentur, tantò clariores redderentur; sicut aromata tantò magis redolent, quantò magis conteruntur.

Luc. Æquè liberè ipse meam sententiā fero: in meo auditorio quasi cōuiuio,tu inter cęteros existis,dū pro mea substantia,pro mediocritate ingenij mei ferūtur epulæ, exponuntur iura, & cæteri quasi mādicantes saturantur,student,proficiunt;nollē vt tu solus disputando de vtilitate,& necessitate huius studij, quasi in dubium reuocans, an cibus, & potus necessarius, vel vtilis sit humano corpori; finito tandem conuiuio remaneres debilis, & ieiunus.

Mau. Incidi in tot difficultates, vt quasi sentiens tormina, coactus sim ab isto conuiuio recedere.

Luc. Nolo id facias. quò magis degustaueris, agno-

sces ciborum suauitatem. Plat. in lib. de leg. dial. 1. censuit, tunc rectè fore cōstitutas leges, si vna erit lex præclarissima, quę iubeat, ne quis iuuenū quęrere audeat, rectè nè, an contra se leges habeant: sed vno omnium ore, vnaq. voce rectè tanquam à Dijs positas concedi; præcipiat. nec vllo modo aliter pati quicquam à iuuenibus cogitari.

Man. Rē noui. quia grauioribus negocijs intentus es, mihi, fortè nimiū molesto, hanc Platonis legem ferre desideras. at si pro mea vtilitate laborandū putas, expedit, vt æstiuo hoc tempore, quo tot laboribus, ac negocijs non es inuolutus, mecum de legum necessitate, & vtilitate disseras.

Luc. Si meā tibi operā profuturā putas, quā semper libētissimè pollicitus sū, nullo vnquā tēpore denegabo.

Man. Nō erit inutilis, nec iniucundus tuus labor, si difficultates, quæ mihi legū studia sectanti, velut nubes legū claritatem inuoluere, & obstacula, quæ meum cursum impedire, & diuertere videntur, quasi placidus Aquilon, suaui flatu, discussis nubibus, aerē serenum reddideris; & quasi remotis impedimentis viam facilem, & tutam pręparaueris.

Luc. Dum hæc à me pro tua vtilitate exposcis, necesse est vt pro viribus præstem. quascunque igitur difficultates, & obstacula, quæ mihi proposueris diluēda, curabo ita discutere, ita rem planam facere; vt omni procul obice, & quasi in meridie, iuris & iustitiæ culmē, quò cæteri legū studiosi respiciūt, ascēdere valeas.

Man. Lætitia gestio; assecutus sum quod volebam. deficit dies, deficit præludium nostræ disceptationis. reuertar quam cito, interim vale.

Luc. Quā auidissimè te expectabo. expiciā sępius an veneris.

S E-

SECVNDVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Mau. PARATVS venio.
Luc. Quæ tecum affers?
Mau. Multas difficultates, quas, si placet, hodie proponam, quò possis faciliùs sequenti congressu, quasi infirmitate cognita, operam, quam pollicitus es, præstare. I.

Arguit Maurus cōtra leges humanas & legis diuinæ, & naturalis necessitaté, & vtilitatem probat.

Luc. Iterum polliceor.
Mau. Dicam plura, eaq. fortè tenuiora: sed discendi cupiditati, qua moueor, indulgeas.
Luc. Audiam, cum animi iucunditate, quæcumque dicturus es; & filum tui discursus non interrumpam.
Mau. Cum diutiùs anceps fuissem, an hoc legum studium necessarium esset, vel vtile: volui animum vertere ad prima initia, & fundamenta, vt cognoscerem, quæ esset illorum firmitas, & constantia: & nonnisi quod cogitaueram accidit. reperi leges humanas esse huius studij fundamentum, & subiectum: quarum tantam cognoui infirmitatem, & debilitatem, vt ampliùs haud mirer, si nedum legum studiosi, sed qui eas profitentur, quiq. habentur omnium peritissimi, semper dubitent, trepident, vacillent: deq; suis nunquam tuti sint legibus. tu, Luci mi, si debiles hominum vires, qui hæc iecerunt fundamenta mecum metieris, humanarum legum infirmitatem, & leuitatem non negabis.
Luc. Non me mouet, quod ratione non probatur:

Mau. Reperio duplicem legem, vnam à Deo profectam, alterã ab homine, quæ à Deo profecta est, partim residet humanis indita mentibus, quæ naturalis dicitur; partim verò scripta legitur in sacris paginis. circa legem diuinam nequimus dicere studiũ hoc versari. versatur tantùm circa leges ab hominibus positas. In libris, quibus tùm Legistæ, tùm Canonistæ vtuntur, Institutionum scilicet, Digestorum, Codicis, Authenticorum, Decreti, Decretaliumq. nil aliud inuenio, quàm hominum responsa, leges, constitutiones, dicta, præcepta, regulas.

Luc. Homines terram colunt, sibi homines vicissim opem ferunt: ex hominibus alij imperant, alij parent, docent alij, alij discunt: ergò non est mirum, si hominum legibus, & constitutionibus homines gubernentur. prosequere.

Mau. Scrutabar qualis esset vtriusq. legis firmitas: & quantum firmitatis, vtilitatis, suauitatisq. in lege diuina cognoui; tantum infirmitatis, damni, & acerbitatis in lege humana cõsideraui; non aliò spectans, quàm ad earum causas.

Luc. Non aliò spectare debebas, quia qualitas causæ arguit qualitatem causati, l. restituendæ, in fin. iuncta glos. final. C. de aduocat. diuers. Iudic.

Mau. Lex diuina est à Deo omnium rerum creatore potentissimo. lex humana est ab homine creatura imbecilli; homo vanitati similis factus est, Psal. 143. Ea à potentissimo totius gubernatore, hæc ab insipienti subdito. Homo, cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, Psalm. 48. Ea ab eo, cui omnia

pa-

parent, hæc ab eo; cui omnia reluctantur. dicunt sancti Patres non immeritò bestias hominibus reluctari, cum ipsi Deo suo sint rebelles, cui sol, luna, & stellæ obediunt. Ea ab eo, qui omnibus prodest; hæc ab eo, qui nemini non nocet. lupus est homo homini dicebat Plaut. in asin. Ea à vera charitate, Deus charitas est, Ioan.epist.1.cap.4. hæc ab ipsa cupiditate: homo enim sibi magis vult,l.ex omnibus,C.de decur. lib.10. Ea ab infallibili veritate, hæc à mendacio: est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Paul. ad Rom. cap.3. Ea ab æterno,incorruptibili,& immortali Deo; hæc à corruptibili, & mortali homine. Deus creauit de terra hominem, & iterum conuertet illum in ipsam,Ecclesiastic. cap.17. Ea deniq. à suprema felicitate; hæc ab extrema miseria. homo natus de muliere,breui viuens tempore,repletur multis miserijs; qui quasi flos egreditur, & conteritur,& fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet, Iob cap. 14. quod etiam optimè admonet Virg.lib.3. Georg.

Optima quæq. dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq. senectus:
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Diuina lex semper est certa; humana verò incerta. cogitationes mortalium timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ,Sap.cap.9. Ea immutabilis;hæc verò mutabilis: iura quæ diuina prouidentia constituta sunt semper firma, atque immutabilia permanent; ea verò, quæ sibi quæq. Ciuitas constituit, sæpè mutari solent. §. sed naturalia, instit. de iur. nat. gent.& ciuil. Ea indissolubilis; hæc verò dissolubilis. Si ex

hominibus consilium est, aut opus, dissoluitur. si verò ex Deo, dissolui, non potest, Act. Apost. cap. 5. Ea remota est ab omni errore; hæc verò errori exposita. Iudicium Dei innititur veritati, quæ non fallit, nec fallitur; Iudicium verò hominis opinionem sequitur, quam fallere sæpè contingit, & falli, c. à nobis il 2. de sentent. excommunic. Deus scientiarum dominus est, 1. Reg. cap. 2. scrutatur corda,& renes Deus, Psal. 7. homo autem, quasi infirmis oculis, videt ea tantùm, quæ apparent: Dominus autem intuetur cor, 1. Reg. cap. 16. hinc est, vt lex diuina habeat in se veram iustitiam; humana verò simulatam. Dicebat Cic. 3. Officior. veri iuris, germanæq. iustitiæ solidam,& expressam effigiem nullam tenemus: vmbra, & imaginibus vtimur. Ea, quoniam iusta est, ligat quoscunque; hæc, quoniam iniusta est, ligatis tenuioribus, potentiores dimittit. Interrogatus Solon, quid esset humana lex, respondit, telam araneæ, quæ, si quid debile est, retinet; si quid fortè validum inciderit, rescissa tela pertransit. Ea, quoniam est æqua, omnibus æquè subuenit; hæc, quoniam iniqua, diuiti tantùm, non etiam pauperi. Diuiti decepto multi recuperatores; locutus est superba, & iustificauerunt illũ; humilis deceptus est, insuper & arguitur; locutus est sensatè, & non est datus ei locus. diues loquutus est, & omnes tacuerunt; & verbum illius vsque ad nubes perducent. pauper loquutus est,& dicũt, quis est hic? & si offenderit subuertent illum, Ecclesiastic. cap. 13. Equidem nescio, an secùs homo potuerit operari, cuius natura labitur ad delicta, §. si verò is, authent. de Monach. qui nihil est vnquam paratus dicere, facere,

aut

aut cogitare: nisi quod ad propriam referat gloriam, ad propriam vtilitatem, ad propria commoda. inquit Terent. in Andria.

Verùm illud verbum est, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi meliùs malle, quàm alteri.

At Deus summam, & infinitam curam habet de nobis, 1. Petr. cap. 5. ipse solus, & potuit, & solus voluit nos purificare, illuminare, sancta docere, à malo conuertere, dirigere ad bonum, lætificare, corda sanctificare, veram deniq. beatitudinem elargiri, desiderabiliorem auro, preciosiorē lapidibus, & melle, fauoq. dulciorem, Psal. 18. de Deo, quidquid melius possumus, debemus cogitare; de homine autem, quidquid deterius. multa est hominis malitia, & cuncta cogitatio cordis eius intenta est ad malū omni tempore, Genes. cap. 6. sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, Genes. cap. 8. in fin.

Luc. Quanto agens est perfectius, tantò effectus est perfectior. ideò mirum non est, si lex diuina sit perfectior, firmiorq. humana. multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit. Prouer. cap. 19. lex diuina satis extolli non potest; at lex humana minimè deprimenda est, cum à diuina pendeat, & regatur. respicit Dominus vias hominū, & omnes gressus eius considerat. Prou. cap. 5. à Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam? Prou. cap. 20. effectus quandoq. melior est sua causa, l. quod ex libertate, C. de oper. liber. ergò parum interest, si homo talis sit, qualem dicebas: cum etiam ab homine componantur,

nantur medicamina, quę nihilominùs necessaria sunt; & vtilia ad corporis sanitatẽ. quare dixit Ecclesiastic. cap. 38. honora Medicum propter necessitatem.

II. Inuenta legũ arguit vti perniciosa.

Mau. Vulgo fertur, leges humanas ita necessarias esse pro salute Reipublicę sicut medicina humano corpori. sed perexigua laus mihi videtur, cum nemo sit, qui nesciat, Romam longo tempore sine medicina floruisse. sed ne diuino oraculo præcipienti, Medicũ honorari propter necessitatem, videar præferre, aut Romanorum temeritatem, aut scribentium testimonium, medicinæ non detraham, quæ cum doceat, & præparet salubria, & opportuna remedia, vtique prodest ad corporis sanitatem. ostendam solùm quæcunque à lege humana inuenta sunt. quasi salubria remędia, ea vti maligna, & venenata humanæ societatis infirmitatem augere magis, quàm salutem operari.

Luc. Magna indiges probatione.

Mau. Rempublicam, inquiunt, valere, quando ciues, ex quibus quasi membris constat, benè agunt; tranquillè, & pacatè viuunt; vigent virtutes, & iacent vitia. è conuerso languere, quando malè agunt, diffident, & insidiantur, vitiaq. vigent, & iacent virtutes: cuius morbi causa potissima est cupiditas, sicut salutis est charitas.

Luc. Radix omnium malorum est cupiditas: Radix autem omnium bonorum est charitas, vt dicitur in cap. quia radix, de pœnit. distin. 2.

Mau. Perscrutemur modò si legum inuenta, vnam vel alteram reprimant magis, vel foueant.

Luc. Differe, vt lubet, attentus sum.

Mau.

Mau. Cœpit humanum genus infirmari,& languere cupiditatis vitio per imposturam Principis vitiorum, qui à principio ruinæ suæ modis omnibus conatur humanum genus euertere. volentes fortè istæ leges hominibus ita vulneratis, & infirmis prouidere, (ò summam cęcitatem) composuerunt medicamina venenata, introduxerunt iurisdictionem, siuè imperium, vt alij alijs præessent, imperarent, infligerent pœnas. III. Poteſtaté inter homines argumentatur fuiſſe inutiliter introductam.

Luc. Remedium fuit valdè necessarium.

Mau. Proh Deum atque hominum fidem! quid vnquam excogitari potuisset, quod magis incenderet humanam cupiditatem, quàm imperium? si æqualis esset hominum conditio, quid esset, quod homines cuperent? & si quid fortè, quid magis, quàm super alios efferri, & imperare? qua de causa armorum impetu societas humana tumultuaret, furentibusq. animis fluctuaret mundus, si libido imperandi hominum pectora non arderet? non solicitaret? complures se scelere contaminarunt imperij cupiditate. Infiniti fuerunt illi, quos popularis ambitio,& armorum impetus ad fastigiũ prouexit. dicit Ecclesiastic. cap. 10. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias,& cõtumelias,& diuersos dolos. Experiuntur miseri homines huius medicaminis venenũ: alij imperantium sæuitia opprimuntur; efferuntur alij; alij iniuria deprimuntur. hoc erit ius Regis, dixit Samuel Philistym 1. Reg. cap. 8. filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciet sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorũ,

&

& messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum, filios quoque vestros, & vineas, & olivueta optima tollet, & dabit eunuchis suis, & seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo; greges quoq. vestros, vosq. eritis ei serui. qua ratione monet Ecclesiastic. cap. 9. longè abesto ab homine habente potestatem occidēdi, & non suspicaberis timorem mortis. idem suadet Ouid. lib. 3. de Tristibus.

Vsibus edocto, si quidquam credis amico;
Viue tibi: & longè nomina magna fuge.
Viue tibi: in quantumq. potes prælustria vita:
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quamquam soli possunt prodesse potentes:
Non prosit potiùs, si quis obesse potest:
Effugit Hybernas, demissa antenna procellas:
Lataq. plus paruis vela tumoris habent.

Vt verè dixerit Lucan. lib. 8. belli ciu.

Virtus, & summa potestas non coeunt.

Hæc potestas superbiam parit, gignit vanam gloriam, iactantiam nutrit, fouet adulationem, blanditur hypocrisi, suffragatur odio, pascit inuidiam, iram refouet, iniuriam recipit. si hæc potestas abiret, quæ existerent inter homines discordiæ? quæ dissensiones? quæ bella? quæ mala? si dijs placet, cui prodest hæc potestas? qui eam assecuti sunt, anguntur assiduo timore: nunquam de propria tuti sunt vita: semper dubij, semper anxij cernunt sibi hinc, illincq. paratos laqueos, fraudes, dolos, astutias, versutias, insidias, machinationes, conspirationes, seditiones, venena. Testis est Seneca in Agamemnone.

Nun-

Nunquam placidâ sceptra quietem,
Certumvè sui tenuere diem,
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempestas;
Non sic lybicis syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus:

Qui verò subditi sunt, quæ damna non patiuntur? quibus non subiacent angarijs, perangarijs, extorsionibus, crudelitatibus? semper afflicti pauent superiorum prælonga brachia, emissitios oculos, asininas aures: exploratores dico, qui dum virtuti, alienoq; honori infames inuident; nunquam non operantur, nunquam non vident, nunquam non audiunt in alterius iacturam.

Luc. Quiesce parum. in manu Dei potestas terræ, & vtilem rectorem suscitabit in tempus super illam, Ecclesiastic. cap. 10. & Deus mutat tempora, & ætates. transfert regna, atque constituit. dat sapientiá sapientibus, & scientiam intelligētibus disciplinam. Daniel. cap. 2. ergò non sine diuino nutu potestas de publico introducta est cum necessitate iuris dicendi, & æquitatis statuendæ, glos. & Doct. in l. 1. ff. de iurisdict. omn. Iud. & sine hac potestate iustitia periret; non esset qui ius diceret, qui suum cuiq; tribueret.

Mau. Ampliùs quiescere nequeo; quia dum leges humanæ post introductam inter homines potestatem distinxerunt etiam rerum dominia, & introduxerunt Meum, & Tuum: velut imperiti Medici morbū exacerbarunt, addiderunt ignem igni, & oleum camino. ita accenderūt hominum sensus, vt nec modus vllus, nec finis possit inueniri cupiditatis habendi. vndè dice- IV. Improbat rerum diuisionem, & Meū & Tuum.

dicebat Horatius lib. 1. serm. Sat. prima:

At bona pars hominum decepta cupidine falsò,
Nil satis est, inquit.

Et Cicero lib. primo Paradoxorum, neque enim vnquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis. Homines, dicebant Philosophi, quietissimè viuerent; si duo hæc pronomina, meum, & tuum de medio tollerentur. equidem non video, quæ sint mala humanæ societati noxia, quæ ab hoc fonte, non emanent. si tolleretur meum, & tuum, vndè orirentur bella? captiuitates? cædes? rapinæ? tot discordiæ? tot scelera? prima illa ætas aurea dicebatur, quia ignotum erat meum, & tuum, semota erat ab omni cupiditate, plena existebat pace & iustitia: quia omnia erant communia. ea defecit, quamprimum inuentum est meum, & tuum: idq. quanto magis cœpit coalescere, tanto magis ætas quælibet visa est defecisse, & fieri pessima de peiore. hinc Virg. 8. Æneid.

Aureaq. vt perhibent, illo sub Rege fuere
Secula, sic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Idem dixit Horat. Oda 6. lib. 3.

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quam rem cum benè intelligerēt antiquiores, quinque ætates distinxerunt. auream bonam, argenteam malam, æream peiorem, ferream pessimam, & vltimam, quæ nunc agitur sceleratam, ferreàq. peiorem. non oportet cogitare si ratio vlla suaserit, vt, quæ na-

natura fecit communia, homines diuiderent.

Nam propria telluris herum natura nec illum,
Nec me, nec quemquam statuit; nos expulit ille;
Illum aut nequieties, dicebat Horat. Sat. 2.

Si iustitiæ vis, vt aiunt, in æquitate consistit, siuè æqualitate, quæ igitur ratio induxit homines, vt inter se diuiderēt, quæ æqualiter posidebant, aliquidq. proprij, & priuati haberent, fierentq. impares, qui pari nituntur conditione? Poetæ, qui non mendacia, & ficta cecinisse, sed vera quibusdam figmentis, & versicoloribus figuris, quò carminibus leporem adderent, comperti sunt repræsentasse; vt ostenderent quàm indignum fuisset illud hominum facinus, fabulati sunt Astream aureo illo sæculo è cælo in terras migrasse: & tandem mortalium scelere offensam, cælum repetiuisse. vndè Ouid. 1. Fastor.

Nondum iustitiam facinus mortale fugarat.

Mirum sanè videtur, quod tanta dementia, tanta cœcitas, tanta cupiditas, tanta audacia homines eò vsque perduxerit; vt non contenti solos terræ fructus distribuisse, etiam elementa ipsa, aerem, aquam, ignem, terram, Solemq. diuidere, ac priuatim habere voluerint, de quo conqueritur Titania apud Ouid. lib. 6. Metamor.

---------- Dea sic affata vetantes.
Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarū est,
Nec solum proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues vndas: ad publica munera veni.
Quæ tamen vt detis supplex peto.

De qua re naturam indignatam demonstrauit Virgil. lib. 1. Georg.

Antè

Antè Iouem nulli subigebant arua coloni;
Nec signare quidem, aut partiri limine campum
Fas erat; in medium quærebant. ipsaq. tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et Ouid. lib. 1. Metamor.

Ipsa quoque immunis, rastroq. intacta neque vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.

Repugnat sanè istud humanum facinus iuri tam naturali, quàm diuino. Iure naturali omnia sunt communia. Iure constitutionis hoc meum est; illud alterius: quod quisque possidet, possidet iure humano; Iure diuino, Domini est terra, & plenitudo eius: pauperes, & diuites Deus de vno limo fecit; & pauperes, & diuites vna terra supportat. §.1. §.10. 8. dist.

Luc. Si tuum non vis, meum mihi relinque. noli tam acriter damnare dominiorum distinctionem; cum nemo sit, qui non videat sine meo, & tuo nequaquam consistere potuisse inter homines, liberalitatem, pietatem, iustitiam, similesq. præclaras virtutes.

Mau. Nulla alia ratione existimo, tum antiquiores Philosophos, tum sanctos Patres propria patrimonia contempsisse, deseruisse; nisi quia ferre non poterant inter homines inæqualitatem in eis, quæ communiter elargita est natura. intelligebant meum, & tuum inuentum fuisse in hominum perditionem. Laudatur Democritus, quod agros suos dereliquerit, eosq. pascua publica fieri passus sit. Crates Thebanus totum patrimoniũ in nummos redactum proiecit in mare dicens, Abite meæ diuitiæ in profundum, ego potius vos immergam, quam immergar à vobis. constat inter sapientes, in diuitiarum contemptu, vim ac rationem

tionem virtutis apparere. sancti Patres, vt se ostenderent veros Christi Saluatoris nostri imitatores, proprij, ac priuati quicquam habere contempserunt; & eò spectasse visi sunt, vt illam naturalem rerum communionem, illam auream ætatem, solo rerum vsu contentam, sibi ipsis ad propriam salutem restituerent.

Luc. Communio potiùs, quàm rerum diuisio est causa discordiæ. qui in communi diffident diuisi statim conueniunt. affectus nimius damnatur, non vsus rerum. inter paucos vtilis est societas, vtilis rerum communio. inter plures pacata non est. Mala, quæ ex omnium rerum communione proueniebant, sublata sunt vniuersali rerum diuisione. & malis illis, quæ ex nimia habendi cupiditate oriri possunt, prouident vtiliter humanæ constitutiones.

Mau. Istæ leges humanæ, ne imperitia redarguerentur, vel inuidia, tria alia emplastra composuerunt: introduxerunt, scilicet, contractus, successiones, & iudicia; quibus etsi profiteantur quasi proficuis, humanam societatem iuuare; eis tamen, vti malignis magis nocuisse comperio.

Luc. Si id cæteri comperijssent, vtique exularent contractus, successiones, & iudicia.

Mau. Quantum ad contractus, non video ad quid prosint, nisi vt homines se inuicem decipiant. legitur in l. in causæ, la 2. §. idem Pomponius, ff. de minor. naturaliter licere contrahentibus inuicem se decipere. quod verbum, naturaliter, vt puto, non

V. Commercia & cōtractus non approbat.

venit intelligendum, ideſt ſecundùm naturam humanam, nihil eſt enim quod æquitati naturali magis contrarium ſit, quàm alios fallere, l. nam hoc natura, ff. de condit. indeb. & iure naturali, cum eſſent omnia communia, ignoti erant contrahentes, quibus talis licentia circumueniendi concederetur. gloſa ibi exponit, naturaliter licere, ideſt de iure gentium: quaſi dixerit, gentes ea ratione, & fine introduxiſſe contractus, vt ſe inuicem fallerent. ſic dicimus homini naturale eſſe ſemel mori: quia naſcitur eo fine, vt moriatur.

Luc. Quando volumus cognoſcere quo fine aliquid agatur; ſolemus attendere modum agendi, & conſiderare ea, quæ præordinata ſunt ad finem. & omne agens, ſecundùm Philoſophos, agit propter finem: & finis eſt, qui mouet agentem. vide igitur ne deficias in ratiocinatione.

Man. Dum conſidero quid agant leges, video mille technas, mille contrahendi modos, cautelas, & cauillationes innumerabiles miſeris contrahentibus parare, & ſuggerere: non ad alium finem, niſi vt ſe inuicem fallant. & qui callidiores ſunt in contrahendo, maioreq. verſutia alios decipiunt, ab iſtis legibus, quaſi eorum magiſtris, laudantur, & defenduntur. hæres, vt legitur in l. ſi hæres, la 1. ff. ad leg. Falcid. vendidit aſtutè hæreditatem, quæ non erat ſoluendo; & lex illum laudat, quia maius precium conſequutus eſt ſua aſtutia propria, & emptoris ſtultitia. eundemq. hæredem defendit à petentibus legata, attento precio, quod ex venditione

con-

consequutus est: quia dicit, illud non ex bonis defuncti, sed ex propria astutia sibi acquisiuisse. & vt hæc fraus inter contrahentes magis coalescat, statuerunt istæ leges, dignum esse, fraudem in suum authorem retorquere; vt non accipiat fructum suæ calliditatis, qui voluit alterum defraudare. & qui alij nocendum esse existimauit, ipse suam sentiat iacturam. l. penultim. C. de legat. quasi non sint contentæ, si vnus alterum decipiat; nisi & ille ab altero vicissim decipiatur, & mutua fraude, quasi pilæ ludo contrahentes se exerceant. Noto pulchram legum sycophantiam: verebantur fortè, ne homines aliquando ita astuti fierent, vt foret difficile, quòd se inuicem circumuenirent: quasi blandiendo simplicitati, simplicitatem legibus amicam esse promulgarunt, quò facilius multi pura simplicitate ducerentur, & inciderent in callidorum laqueos, & fraudes, quos posteà deludunt dicentes, vigilantibus, & non dormientibus iura subueniunt. l. pupillus, in fine, ff. de ijs, qui in fraud. creditor. isti contractus sunt velut cibi duræ digestionis, generantes malos humores, & infirmitates. quandoquidem nulla diligentia, nulla cura, nullum studium in illis conficiendis sufficit. quilibet etiam minimus defectus cuiusuis leuioris formulę, & clausulæ eos corrumpit; generat iurgia, rumores, & non raro tristes effectus. si duo priuatim contrahant nihil est; nam altero negante, quicquid gestum sit, sciri non potest. si adhibeantur testes, ex eorum dissimilibus, varijs, contrarijs, incertis depositionibus, quæ non

sine dispendio haberi possunt; totum negocium confunditur; generantur lites immortales, quæ non solùm rei in contractu deductę æstimationem, sed totam contrahentium substantiam, vitamq. consumunt. si priuata, publicavè conficiatur scriptura, mille exoriuntur dubitationes ob verborum ambiguitatem, ob sensus varietatem, ob pręsumptam contrahentium voluntatem; an sit plus dictum, quàm scriptum; vel ob Notariorum malitiam inculcantium plures, & vt plurimum repugnantes, contrariasq. clausulas, non solùm contrahentibus, sed etiam sibimetipsis omninò ignotas: vndè exultant soli legum professores, canentes, imperitia Notariorum implet bursam Aduocatorum.

Luc. Non sunt leuia ista hæc, quæ dixisti de contractibus. supersunt nè alia?

VI. Successiones refellit. **Man.** Satis dictum sit de eis. dicam de successione, quæ quantum accendat concupiscibilem, & irascibilem exasperet, ex tristissimis euentibus iamdiù cognitum est. nullę excogitari possunt insidię, quibus homines vsi non fuerint sola succedendi cupiditate. didicerunt alij blandis verbis, & simulato vultu testatorum voluntates retorquere, & proprios filios, aliosque consanguineos à legitima successione excludere: alij studuerunt propriorum parentum, fratrumq. & proximiorum voluntates cohibere: eosq. testari volentes omni prohibere conatu, & malitia. nec defuerunt qui timentes, ne aut debita, aut quasi promissa successione priuarentur; & ne voluntas, quæ est ambulatoria vsque ad mortem,

tem,

tem, aliò se verteret, ausi fuerunt parentum, amicorumq. mentes medicamentis alienare, & veneficijs extinguere, vitamq. (quod non semel auditum est) aut proprijs, aut impiorum manibus auferre. vt dici possit cum Manil. lib. 4. Astronom.

Ecce patrem nati perimunt, natosq. parentes,
Mutuaq. armati coeunt in vulnera fratres.

Qua ratione parentes propriam vitam comminuunt in parandis facultatibus, vt plerunq. nec parcant propriæ animæ, nisi quia cupiunt filiorum successionem opulentiorem? sed quid sequitur? hoc nimirum, maiori desiderio, & anxietate expectant filij, affectantq. parentum mortem. quod benè cognoscens Demea Terentianus in Adelpho dicebat act. 5. scen. 4.

Duxi vxorem: quam ibi miseriam vidi? nati filij.
Alia cura. porrò autem dum studeo illis, vt quamplurimum
Facerem, contriui in quærendo vitam, atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab eis fero,
Odium; ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant: me fugitant. illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illũ sunt ambo: Ego desertus sum.
Illum vt viuat optant, meam autem mortem expectant, scilicet.

Aliud impietatis genus, non rarò contigisse compertum est, hoc solo successionis inuento, & libera testandi facultate, à lege cõcessa. pleriq. odium, iramq. conceptã, erga proprios filios, parẽtes, & propinquos,

tunc quando omnes vires deficiunt, quando soli charitati locus esse deberet, euomere didicerunt, alios sibi hæredes instituendo, eosq. exhæredando: adeò vt hęc successio sit quasi species vindictæ: quod etiam deduco ex l. 1. C. de his, quibus vti indignis, dum dicitur, hæredes, qui testatoris necem inultam reliquerunt, hæreditatis commodo priuandos esse, quasi non ad alium, quàm ad vindicandi finem hæredes extitissent. inquiunt summam æquitatem esse, vt quisque moriens, quando aliud velle non potest, valeat saltem liberè de rebus suis disponere, l. 1. C. de sacrosāct. Eccl. sed mihi videtur potius magna iniquitas, & summa iniuria, quòd parentes libertatem ipsam, qua viuentes delectabantur, disponendi de bonis à prædecessoribus relictis, possint eorum filijs, & successoribus, quasi per inuidiam adimere, vel coarctare, tot tantisq. legatorum, substitutionum, & fideicommissorũ vinculis. Illi, qui rudes sunt, & idiotæ, dum condunt testamenta plena institutionibus, substitutionibus, fideicommissis, & alijs clausulis, quas minimè intelligunt, non possunt censeri ita velle; cum velle non possimus, quod non intelligimus. Testamenta verò Doctorum, quamuis insignium, maioribus ambiguitatibus, controuersijs, & litibus subiacuisse vsu compertum est. quæ de successionibus, & hæreditatibus leges statuerunt, & conscripserunt Doctores, non regularum, non dogmatum effigiem habent; sed ænigmatum indissolubilium. suitas, institutio, substitutio vulgaris, pupillaris, fideicommissaria, bonorum possessio, petitio hæreditatis, legata, & cætera huiusmodi, nihil aliud sunt, quàm figmenta quædam obscu-

obſcura, & intricata, quæ à Magiſtris doceri, à diſcipulis addiſci, & ab alijs ſciri nunquam potuerunt. Materiam hanc ſucceſsionum omnes exclamant, latam, confuſam, controuerſam, intricatam, & difficilem; eamq. appellant omnium litium cauſam potiſſimam. Quiſquis ſit, qui vel teſtatoris iudicio, vel legis diſpoſitione futurus ſit ſucceſſor; vel violentia inuaſoris expellitur, vel occupantis potentia excluditur, vel ſaltèm immiſſus in poſſeſsione, multis litibus inuoluitur, quæ animum ſolicitant, mentem torquent, exhauriunt ſubſtantiam. Gloriabatur Baldus, ſola ſubſtitutionum materia, quam maximum lucrum congeſsiſſe.

Luc. Succeſsionum controuerſiæ in iudicio quotidiè dirimuntur.

Man. Aut nunquam hoc accidit, aut nonniſi poſt cõſumptam hæreditatem, infinitis penè litium diſpendijs. ſed videamus quàm vtile fuerit inueniſſe, & introduxiſſe iudicium.

Luc. Videbo, quæ argumenta adduces.

Man. Iudicium, inquiunt legibus inuentum eo fine, vt ſuum cuiq. tribuatur, & ſuccurratur hominum malis. ſed impoſturam, quam iſtæ humanæ leges fecerunt, etſi artificioſè diſsimulauerint, diutiùs tamẽ latere euentus non permiſit. dant leges liberã cuiq. accuſandi, agendiq. facultatem. accuſandi, ne delicta maneant impunita; & vt improbis hominibus expurgentur ciuitates. agendi, vt ſuum quiſque recuperet. & dum hominũ infirmitatibus mederi diſsimulant, venenum offerunt. dant liberam accuſandi facultatem, vt qui nec ſibi confidunt, nec vllis nituntur VII. Iudicia reprobat.

C 4 viri-

viribus; eosq. quos odio prosequuntur, calumnientur; imputationibus vexent iniquis, falsa obijciant crimina; legalibus vlciscantur armis. ò rem deplorandam! ò summam calamitatem! ò miseram atque deterrimam hominum conditionem! forte peruersus Dæmon hominibus abundè fraudes non suggerebat, quod etiam istæ leges, istæ sycophantæ, illis nouas artes, noua arma, quibus inter se atrociter digladientur, voluerunt subministrare: sed quod maiorem inuidiam arguit, alliciunt miseros, cæcosq. homines ad accusandum; eosq. postea, quasi id calumniose fecerint, acriter puniunt. qui autem per calumniam accusati fuerunt, non sine dispendio dimittuntur, & iactura. dant cuilibet liberam agendi facultatem, vt suum cuiq. tribuatur; sed fucum faciunt: immò vt suum cuiq. auferatur, & incrassentur illi, qui earum fouent iniquitatem, pinguescant scilicet Notarij, qui, fabricando processus prolixiores, explicant res paucas magnis scripturis; implent plures paginas distātibus lineis, & longè distantioribus verbis, & literis, quò faciliùs miseros litigatores extenuent. vt saturentur procuratores, qui semper mille technas construunt, quibus aduersariū aut opprimant, aut ob causæ diffidentiam ad compositionem adigant. remq. ita producunt, donec miseros clientes excoriarint. vt ditentur Aduocati, qui semper clientibus bonam causam probant, cōsilijs, & auctoritatibus firmant, nihil scrupuli esse contendunt. immò certam spem, & victoriā ipsis promittunt, quò facilius mulgeāt eorum crumenas: & tandem, vt expleantur Iudices, qui, non contenti præmijs sibi constitutis, semper excogitant quomodo

modo possint maius lucri aucupium facere. profectò iudicium istud venenum dici potest, quod est vita serpentis, & mors hominum: quandoquidem quotidiè experimur, multos ob defectum probationis rem sibi, vel quantitatem debitam non consequi. alios ob negligentiam etiam minimam, seù contumaciam nō audiri. alios ob ignorantiam vel malitiam Aduocatorum, vel Iudicum, iniustè damnari. alios processuum tricis inuolutos, præteritis sumptibus deglubatos, & futuris perterritos à lite recedere, & causam, & sumptus miserè deperdere. alios deniq. quorum pars æquior iudicatur, nōnisi post multos annos, post multa incommoda, post multas instantias non posse quiescere. Siccine suum cuiq. tribuitur! sic hominum malis succurritur? ex hoc iudicio emanant grauissimæ discordiæ inter arctissimo sanguinis, & necessitudinis vinculo coniunctos. Ex hoc prouenit ciuium destructio, qui inter se litibus contendentes, bona dilapidant, perduntque. Ex hoc cōtemptus Dei, charitatis extinctio, falsitates, periuria, homicidia, malaq. omnia proficiscūtur. quare dixit Apostol. ad Corinth. cap. 6. iam quidem omninò delictum est in vobis, qui iudicia habetis inter vos. & ipsemet Iustinianus Imperator in l. properandum, C. de Iudic. ait, lites materiam sæpè criminibus creare noscuntur. & tamen leges eas introduxerunt, magis, magisq. fouent. iudicandi facultatem homini tribuunt (homini inquam) qui cœco intellectu in tenebris ambulans, nihil aliud didicit, quàm errare. qui cum sola moueatur vtilitate, nihil magis callet, quàm alienis bonis inuidere, & inhiare. qui tandem cum ad iram libentissimè promo-

ueatur,

ueatur, nihil magis quærit, quam nocere. igitur quasi famelico venenatos cibos apponentes; aut gladium insipienti, iratóq. puero committentes, humanæ societatis tranquillitatem perdiderunt.

Luc. Iudicia dirimunt lites. & si forsan accidat, vt iniustè iudicetur, hoc tamen vtile est reipublicæ, dum ciuium contentiones aliquando finem capiunt. legitur Prouerb. cap. 26. Iudicium determinat causas, & qui imponit stulto silentium, iram mitigat. delicta, quæ in iudicijs accidunt, hominum sunt, non legum. non iudicant leges: sed quomodo iudicandum sit, ostendunt. non omnes ægri conualescunt, nihilominus vtilis est ars medicinæ, Cic. lib. 2. de nat. Deorum, paulò post principium.

VIII. Arguit contra legis virtuté, quę est imperare, vetare, permittere, & punire.

Mau. At quoniam ego sæpius audiui, & legi, humanas leges humanæ societati multum profecisse, imperando, vetando, permittendo, & puniendo: scire cupiens, quidnam leges imperarent, vetarent, permitterent, & punirent, cœpi mecum ratiocinari; quæcunque fieri, agìue possunt ab hominibus, aut bona sunt, aut mala, aut indifferentia. Si leges imperant quæ bona sunt, & puniunt quæ mala, inanis est labor: homo ad agendum mouetur à voluntate, voluntas autem tendit in suum obiectum, quod est bonum, & malum. vnum appetit, alterum fugit. si deficit voluntas, actus est inuoluntarius, & non iudicatur bonus, neque malus. minimè ergò necessarium fuit, vt leges sibi hoc assumpserint opus, imperandi quæ bona sunt, & puniendi quæ mala; cum voluntas ex se appetat, quæ bona sunt, & fugiat quæ mala. Si leges permittunt, & vetant quæ sunt indifferentia; nedum inanis,

inanis, sed perniciosus est labor: si permittunt indifferens, faciunt ex non bono bonum: si vetant indifferẽs, faciunt ex nõ malo malum. & modo vnum, & modo aliud prohibendo, durioribus vinculis homines natura liberos constringunt: atque mala malis addentes, eos pessimos faciunt, qui vel mali erant, vel peiores.

Luc. Vera est illa vulgaris distinctio; alia prohibita, quia mala, alia mala, quia prohibita. hac tamen prohibitione non augetur malum; sed bonum perficitur. prosequere cœptum discursum; expedit, ne te amplius interrumpam: & si quæ alia legum virtuti obijcies, memoriæ commendabo.

Man. Inquiunt vtile esse, vt istæ leges puniant sontes; & eos tanquam putrida membra separent ab vniuerso corpore, ne totum putredine corrumperetur. at ego non video, quid oportuerit, vt ob patrata inter homines scelera, ita excandescerent, & laborarent de illorum vltione, cum hoc opus sit diuinæ potentiæ, non humanæ, quæ fragilis est, & sæpè amicitia, sæpiusq; precio corrumpitur. dicebat Sapiens cap. 12. quis dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit si perierint nationes, quas tu fecisti? non est enim alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus. IX. Argumentatur homines a solo Deo sufficienter puniri, & differit de remorsu conscientiæ.

Duplici pœnarum genere animaduerto homines puniri à Deo, cuius magna sunt iudicia, & inenarrabilia. vnum est remorsus conscientiæ, & alterũ cruciatus inferni. inditam habet quisque nostrum conscientiam à Deo, quæ ita est animæ socia, sicut vmbra corporis. Corpus nostrũ sociam sibi vbiq; circumfert

vm-

vmbram, veluti negociorum conteſtem; quæ nunquam abeſt, ſed vel præcedit, vel ſequitur: anima verò ſemper ſociam habet conſcientiam; quæ nuſquã recedit; & interiorum quarumcunque cogitationum ſemper conſcia eſt: Vndè Ouid. lib. 1. Faſt.

Conſcia mens, vt cuiq. ſua eſt: ita concipit intra
Pectora, prò facto, ſpemq. metumq. ſuo:

Hæc vti Pedagogus ad bonum nos hortatur, & à malo crebris clamoribus, verberibusq. auertit, vndè Aul. Perſ. Sat. 5. verſ. 93.

Stat contra ratio, & ſecretam gannit in aurem
Ne liceat facere id, quod quis vitiauit agendo.

Hæc, vti accuſator, ſcelerum noſtrorum vindictam petit; ob oculos noſtros iugiter eorum, quæ patrauimus, grauitatem ponit. nunquam ſilet. nullis modis flectitur. nullis corrumpitur promiſsis. aſſiſtit nobis aſsiduè, congreditur, clamat, obiurgat, exprobrat; & vti Iudex terribilis, formidine plenus, incorruptus rationem diligenter exquirit. delictorum noſtrorum crudelem in nos fert ſententiam. imponit pœnas intolerabiles. vndè Iuuen. Sat. 13.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet authori. prima hæc eſt vltio, quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Hæc tandem, vti carnifex, torquendi nunquam finem facit; ſemper obturbat, vexat, angit, laniat, flagellat, lancinat, circuitq. mille cruciatibus; mille pœnis, mille tormentis, quorum quæ leuiora ſunt, plus acerbitatis, & doloris habent, quàm verbera, laquei, & ſecures, cæteraq. id genus tormenta. vt

iure

iure exclamauerit Lucan. lib. 7. belli ciuil.

Heù quantum misero pœnæ mens conscia donat?

Et hoc, ni fallor, innuere voluerunt Poetæ fabulantes, Eumenides speculatrices esse, & vindices facinorum, & sceleris; eosq. qui aliquid impiè egerint, & sceleratè commiserint, tedis ardentibus agitare, & perterrere: vt enim explicat, Cicero primo de legib. post medium, agitant, insectanturq. impios furiæ, non tedis ardentibus, sicut est in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisq. cruciatu.

Vt autem meditor alteram pœnam, quam apud inferos luunt miseræ animæ, horret animus, obriget sanguis, ossa tremunt, commouentur viscera; ipseq. tanti horroris metu totus commoueor, ac penè concido. ibi non profunda Cocyti stagna, nō Stygiam paludem, non Phlegethontem, non Orcum, non tricipitis Cerberi rabiem, non Plutonis, non Æaci, non Rhadamanthi iudicium inuenio. ibi non Ixionem intueor, volubili alligatum rotæ, perpetuo volutari. non Sisyphum ad mōtis verticem, ingens saxum penè elatum, repentè deorsum relabens, continuò cogi prouoluere. non Tantalum perpetua fame, ac siti torqueri Eridani fluuij aquis, & pomis, quæ capiti eius imminent, captationē eius fugientibus. non Tityum consumptum illicò renasci, semperq. pati vultures iecur lancinare, nunquamq. à discerpendo cessare. non Prometheum sub Caucaso à vulturibus rodi, vt Poetæ fabulati sunt. sed locum tenebrosum contemplor, voraginem horrēdam, lacum profundissimum, Tartarum absorbentem quoscūque qui inquinati vitiorum sordibus ab hac vita discesserunt. ibi cōsidero

X. Meditatur cruciatus inferni.

per-

perpetuum carcerem, barathrum irremeabile, inextinguibilem ignem, intolerabilem graueolentiam, inenarrabiles horrores, infinitos cruciatus. meditor iustißimum ineffabilis immutabilisq. Dei iudicium. formido acerbißimas reorum damnationes. metuo perpetuas pœnas, quarum ministros plures intueor: tineas scilicet perpetuò obrodentes, vermes lacerantes, horrendos serpentes veneniferis laniantes dentibus. & quod terribilius, & horribilius est; audio ibi tumultuosam Dæmonum turbam præ inuidia frementem, concrepantem præ ira, præ superbia obiurgantem. eosq. summo cum tremore contemplor. eos tremebundus video, flentes, eiulantes, stridentesq. animas in ignem vrgere, impellere, ferròq. confixas in camino ignis perpetuò reuoluere. O rem horrendam! in reos euomunt spiritus infernales fœtorem, intolerabilem, insanabile venenum. quodcumque pœnarum genus excogitari vnquam posset, in eas crudelißimè exercent. satiati nunquam, nunquam defeßi pœnas pœnis, tormenta tormentis iugiter addendo, magis, magisq. sæuiunt. inhiantq. corporibus tandem resurrecturis, ne ipsa præstiti ministerij pœnas effugiant. ibi nulla spes, nulla gaudia, nulla solatia, nulla quies, nullum refrigerium, sed sempiternus horror inhabitat. ibi est fletus, & stridor dentium, amaritudo perpetua, perpetua maledictio. O summam, & incorruptam omnipotẽtis Dei iustitiam! quid iam, Luci mi, oportuit, vt alias pœnas humanæ leges delinquentibus imponerent? putarunt nè fortè se Deo iustiores, & sagaciores? multa sunt, quæ intellectus humanus scire, & intelligere nequit. neque

pau-

pauciora ſunt, quæ potentia humana nequit prouidere, cauere, vitare: quapropter dicebat Sum. Pont. in cap. à nobis, il 2. de ſent. excomm. Iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur. Iudicium autem Eccleſiæ, nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli. propter quod contingit interdum, vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Quæ humanam deludunt, expugnantq. iuſtitiam, fortitudo, aſtutia, verſutia, calliditas, apud Deum nullius ſunt roboris. nemo poteſt eruere quemquam de manu Dei, Deut. cap. 23. Ira, odium, amicitia, beneuolentia, conſanguinitas, dignitas, nobilitas, fauor, quæ corrumpunt, ſibiq. conciliant humanam iuſtitiam, nihil iuuant apud Deum. nulla ſunt hominum auxilia, quæ prodeſſe poſsint aduerſus manum Dei. Oſeæ cap. 5. miſeria, paupertas, calamitas, imbecillitas apud Deum nihil nocent. apud Deum non eſt acceptio perſonarum. iuſtus eſt Dominus & iuſtitias dilexit, Pſalm. 10. non eſt autem homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, Eccleſiaſtic. cap. 7. & vt inquit, Paul. ad Rom. cap. 3. non eſt iuſtus quiſquã non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

XI. Conſiderat Deũ hominibus pœnas temporales infligere.

Sed vltrà iſtas pœnas, remorſus ſcilicet conſcientiç, quæ viuentibus datur intrinſeca: & cruciatus inferni, quæ vita functis perpetua eſt: infligit etiam vitã hanc agentibus pœnas temporales, & extrinſecas iuſtiſsimus Deus. alio tamen, & meliori fine, quàm faciant humanæ leges. flagella enim, ſeù pœnę à Deo proueniunt, vt per Magiſtr. ſentent. lib. 4. diſt. 15. lit. A.

vel vt

vel vt iustis per patientiam merita augeantur, vt Iob, quem manus Dei tetigit cap. 1. vel ad custodiam virtutum, nè superbia tentet, vt Paulo, qui se à Deo humiliatum fuisse dicebat 2. ad Corinth. vel ad corrigenda peccata, vt Mariæ sorori Moysi, quæ in Moysen obmurmurauerat, & apparuit lepra candens vti nix, Num. cap. 12. vel ad gloriam Dei, vt de cœco nato Ioan. cap. 9. vel ad Iudicium pœnæ, vt Herodi, quem percusSit Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus vermibus expirauit, Act. Apost. cap. 12. leges autem humanæ profitentur punire, & afficere vltimo supplicio delinquentes, vt solatio sint cognatis, & affinibus interemptorum, l. capitalium, §. vltimo, ff. de pœn. sed summa est iniquitas, cùm iniquum sit inimici morte solari. vndè dicit Ecclesiastic. cap. 8. noli de inimico tuo mortuo gaudere, sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire.

XII. Arguit pœnas corporales, & pecuniarias per legẽ humanam nõ potuisse imponi.

Insuper dum in mentem reuoco, quod inquiunt, legum finem esse, facere homines simpliciter bonos. nescio qua ratione eos cogant formidine pœnę; cum id, quod metu fit, ex virtute non fiat. immò sic faciunt homines malos: nã quod timore fit, non spontè fit; & quod nõ spõtè, nõ est laudabile. & dũ dicũt, pęnas alias esse corporales, alias pecuniarias: quoad corporales, non video quomodo posSit humana potestas, contra præceptũ Decalogi negatiuum, Non occides, pęnam mortis infligere. quomodo posSit ciuilis potestas habere dominium in membra hominum & vitam, cum id nec habeat quisque in semetipsum: quomodo posSit humana sapientia velle, quam Deus damnauit

vltio.

vltionem, & vindictam. & deniq. non intelligo, quo pacto, quos Deus vult, vt conuertantur, & viuant, morti tradere liceat humanis legibus. sed transeat, quod pœna corporali afficiantur, qui in corpus alterius deliquerunt: sed qui rebus alienis insidiantur, vt sunt fures; quod morte puniantur, vix ferri potest: cum non liceat magis fortunas hominis, quàm vitam proximi diligere. & quod istæ pœnæ corporales, non omnibus pro ęquali delicto imponantur; sed fiat differentia inter vnum, & alium; inter nobilem, & ignobilem; inter priuatum hominem, & constitutum in dignitate; vix, ac ne vix quidem ferri potest. quoad pœnas autem pecuniarias, quod parti, Iudici, vel Fisco applicentur, nescio quàm æquum sit, vt quæstibus inhonestis anhelando, desideret quisquam cum aliena iactura locupletari. immò videntur istæ leges, imponendo pœnam pecuniariam, contra Decalogi præceptum, Non furtum facies, permittere iniustã damni illationẽ, alienæq. rei deliberatam voluntatem. vndè videmus quotidiè homines inter se cõtendere, & foro disceptare; & quasi canina rabie, & furore agi, huc atq. illuc rapi, nullumq. quietis locũ inuenire: nisi priùs alterius vitam, famam, aut saltem bona, quæsito hoc pœnarum iure, momorderint, ac decerpserint.

Luc. Leges, imperãdo quæ bona sunt, & puniẽdo quę mala, excitant pigram hominis voluntatem ad bonũ appetendũ, & malũ fugiendum. dum verò ex his, quę ex accidenti possunt esse vel bona, vel mala, aliquid vetant, vel permittunt: edocent homines quid fieri possit vel bonũ, vel malum. ita satagunt, vt homines quietè, & feliciter viuant. vellem itaq. vt tu etiam cũ

alijs diceres,leges inuentas esse ad salutẽ ciuium,Ciuitatũ incolumitatẽ,vitamq.hominũ quietam,& beatã.

XIII. Inuehit cõtra leges humanas quasi incertæ sint innumerabiles, mutabiles.

Mau. Si Dijs placet. sunt incertitudine ipsa incertiores; innumerabiliores astris; mutabiliores vento; duriores quolibet ænigmate; inextricabiliores labyrintho. quid est in iure certum?aut quid tàm certũ,quod medio iure in controuersiã deduci nequeat?quid prodest infinitus penè legũ numerus, si memoria hominis fragilis est,& quantũ recipit,tantum necesse est, vt amittat?quid prosunt tot legũ volumina,cũ pro eorũ lectione,nõ sufficiat tota hominis ętas? saltẽ possibile esset librorum multitudinem resecare.sed citiùs terra ætherem conscenderet. sunt hydræ omninò similes, cui reciso vno capite plura protinus renascebantur. Quæ est legum firmitas,quæ constantia? nulla, nulla prorsus: vt meritò non amplius tabulis æneis incidãtur, affiganturq. parieti; sed leuibus folijs conscribi soleant, & quasi filo suspendi, quò faciliùs omni ventorũ flatu flectantur, lacerẽtur, deijciantur. si istæ leges sunt mutabiles,quomodo igitur earũ pręcepta sũt bona? sunt iusta? sũt honesta? immò si quæ abrogãtur præcepta, & quæ abrogant,possent esse simul honesta,iusta, & bona; non tamen vtilis posset esse talis mutatio: nihil enim magis impedit sanitatem,quàm crebra remediorum mutatio.inquinant potiùs,quàm alant cibi varij,& diuersi. Propter varias Doctorũ opiniones inter se cõflictantium totũ ius conturbatũ est; vt nihil certũ, nihil firmũ, etiam ab ipsis Iurisperitis queat reperiri. nunquã repertus est vllus iure quãuis peritissimus,qui cuiuscunque legis verũ,& firmũ sensum potuerit elicere. refert Accurs.in l.penult. C. fin. regund.

regund. quendam Petrum Baylardum, qui se iactauit ex qualibet quantumcunq. difficili lege extracturum aliquē sanum intellectum,ibi dixisse,nescio. quod idē fuisse responsurū in intellectu l. diem functo, ff. de off. assess. putauit Cagnol.ibid.n.34. Ego ob tantam legū confusionē, perturbationē, & controuersiā inter DD. vereor,ne quasi ædificantium turrim Babel, legumlatorū,scribentiūq.linguæ cōfusæ fuerint, vt vnusquisq. vocem non audiat proximi sui. ob niminiam nempè temeritatē, quasi leges ferre, & iudicare nō sit humani consilij. vnus est enim Legislator, & Iudex, qui potest perdere,& liberare, dicit S.Iacob.in Epist.Cathol. c.4. Nulla lex est ita benè explicata,quæ alia nō egeat explicatione.Nulla sunt iura,quę vario modo nequeāt exponi.si demùm multiplices sunt istę leges,eæq. inter se contraria præcipientes; nullo modo fieri potest, vt miser homo,vno & eodem tempore, illis contraria iubētibus obtēperet . velut equus,qui eodē tempore cogitur cursū arripere,sistere,circumire:dum alius mouet calcaria, alius contrahit habenas, & alius vertit in gyrū,nemini valet obedire. trahitur hùc à lege naturali, illuc à iure gentium: hàc à Iure ciuili, illac à Canonico;aliò à municipali,& aliò à nō scripto. heù heù, qui sūt maiores implexus? est nè possibile,vt hic homo in varias, & diuersas partes,eodē tempore,distrahatur ? si vnus est legū finis, vna mens humana, vnus intellectus, vna generis humani natura; cur tā varia, & diuersa, tāq.cōtraria,multæ,diuersæq. leges homini præcipiunt? vulgò fertur, legū vsum tàm necessariū esse Reipublicæ,quā elementorum ignis,& aquæ. ego etiā facilè assentirer, si innuere vellent,leges igni,

& aquę nō esse absimiles; nā tanquā violētus,& vorax ignis incēdūt,& cōsumunt omnia, vt nihil remaneat, nisi cinis;homines videlicet cineracei,sine libertate,sine bonis,sine sāguine,sine spiritu.&velut aquahàc,atq. illac rapidè fluens,abluensq. omnia,nihil aliud relinquūt,nisi lutū.Iā verò Luci,quid dicis de tuis legibus?

Luc. Intereunte die, nolo finē tui discursus aliqua responsione prorogare. dixisti multa contra humanas leges,contra earum virtutem,& finē. si quid dicendū superest contra earum studium, libentissimè audiam.

XIV. Inuehitur cōtra studium legū ob authorum qualitatē, librorū multitudinē,& opinionum diuersitatem.

Mau. Nonnulla breuiter dicam.Ius,cui operā damus, duplex est,Ciuile,& Canonicum. Ciuile cōtinetur in libris Digestorū,Codicis,Authenticorū,& Institutionum, quorum author fertur Iustinianus Imperator, quē dicūt fuisse literarū expertem,& analphabetū: qui scilicet, nec elementa literarum nouerat. ita vt haud amplius mirer,si ab authore imperito nihil posit addisci. Continent isti libri responsa quorundā prudentum,ac etiā quasdam Imperatorum constitutiones,leges nuncupatas: quæ tamen omnia sunt ita mutilata, vt neque sensus verborum,nec vera dicti ratio percipi posit. sunt tot tituli,tot leges, tot paragraphi, vt nec Mitridatis memora sufficeret. nullum possunt habere fundamentū veræ iustitiæ,& honestatis: quandoquidem emanarunt ab illis prudentibus, & Imperatoribus, qui erant Idolatræ; non cognoscebant Deum; odebant Diuinam legem; Christi fidem persequebātur. deductę sunt ex lege duodecim tabularū à Græcis mutuata,& ex alijs Romanorū legibus,plebiscitis,Senatusconsultis, & Prętorum edictis: quorum interpretatio eisdem prudentibus committebatur.Habuit

penès

penès se Iustinianus quemdam virum nomine Tribunianum, qui, vt refert Suidas fuit cõtemptor cuiuscunque Religionis, præsertim Christianæ. fuit magnus auarus: lucri gratia, ius semper venale habebat: interpretabatur leges prout amici res postulabat. istius viri opera fuerũt cõpositi prædicti libri, vt in procœmio Institutionum, & in l. 1. & 2. C. de vet. iur. enucl. qui vir si quid boni præstare potuerit, ipse nescio. in eisdem libris continentur glossę Accursij adeò strictę, obscuræ, & ambiguæ, vt illæ maiori, quàm leges, declaratione indigeant. inquiunt Accursium, quando quadragenarius erat, cœpisse legibus operam dare; parum ergò proficere potuit. &, vt puto, tanquam vir duri capitis, scripsit illis temporibus quicquid voluit; quicquid venit in mentem; & tanquam cæcus, leguleiorum turbas traxit in magnam obscuritatem, & confusionem. hoc à Iustiniano disco, qui in d. l. 2. §. nostra autem, C. de veter. iur. enucl. sanciuit, vt Iurisperiti in posterum nõ auderent commentari dd. eius libros; nec eorum claritatẽ sua verbositate confundere, quemadmodum antiquioribus temporibus factum fuerat; vt per contrarias interpretantium sententias, totum ius conturbatum esset. Doleo Iustiniani contemptionem. hodie magis conturbatum est totum ius. maior est numerus librorum, ac penè infinitus; quorum alij glossas continent, alij lecturas, alij summas, practicas, methodos, regulas, conclusiones, quæstiones, tractatus, consilia, decisiones; cum tanta varietate, contrarietate, & confusione, vt quid verum sit, nullus percipere valeat. Hanc appellarem potiùs

D 3 iuris

iuris ignorantiam, quàm scientiā. neminem reperio etiam ex grauioribus Iurisconsultis, qui ignorantia notatus non fuerit. Hirnerius, qui primus prædictum Iustiniani Decretum cōtempsit, licèt ab aliquibus fuisset nuncupatus Lucerna Iuris, tamen maior pars dixit, tenebras legum ab eo initium sumpsisse. paulò post Placentinus, inter alios eminens, composuit quandam Summam; sed Accursius in l.cogi,C.de petit. hæredit. in glos. fin.circa med. dicit, eum somniasse,& locutum fuisse mirabilia. nec melius accidit Ioanni Bossiano Cremonensi, Præceptori Azonis, cū scripsisset quamdam Summam, quam Odofredus deridebat, dicens in l. 1. in princ. ff. de eden. eam esse ventosam, & nihil boni reperiri in illa Summa. ne plures enumerem, Bartolum, quem Iuristarum Principem colimus, somniasse dicit Baldus in l. posthumo, in princ. C.de bon. poss. contra tabul.& in l. in annalibus, in princ.C. de legat.ait, Bartoli solutionem non valere vnam fabam, & in l. potuit, col.3. C. de iur. delib.nu.11. asserit, non esse tenendam opinionem Bartoli ibi, quia est quoddam ridiculum. sed de Baldo non minus dicit Castr. in l. vn. in princ. C. quando non peten. par. eum scilicet volare per aera, & nubes. & difficultare multò magis, & potiùs loqui ad ostentationem, quàm ad vtilitatem. & Alex.in l.quod in eo,nu.12.ff. de acquir.poss. dicit, eundem Baldum multa mirabilia dixisse, & singularia, sine legibus, & rationibus; & sæpè falli. itavt non sit dubitandum, an de reliquis longè inferioribus, eadem, vel peiora dici possint.

Quan-

Quantum verò ad ius Canonicum illud clauditur in tribus libris;Decreti: qui fuit cõpositus à Gratiano Monacho Sancti Proculi,& continet dicta, & sententias plurium Sanctorum, & Patrum. sed quod affert non modicam admirationem, non habet vim legis, vt post alios Felin.refert in cap.2.col.24.de rescriptis. Secundus est liber Decretalium auctoritate Gregorij Noni,opera tamen S.Raymundi compositus, qui cõtinet quasdam Epistolas, quibus Pontifices prædecessores de iure cõsulentibus respondebant. & tertius est nuncupatus Sextus Decretalium, cõpositus auctoritatę Bonifacij VIII. opera Riccardi Cardinalis, & Dyni Mugelani; qui continet quasdam constitutiones, seù Decretales. cui libro Sexto Decretalium,additæ sunt quædam Clementis V. constitutiones, auctoritate Ioannis XXII. congestæ, ac etiam xx. constitutiones Extrauagantes eiusdem Ioannis. & re vera istud ius Canonicum, non minùs quàm Ciuile, varijs glossis, & commentarijs conturbatum est.sed Canonistarum scientiam parui faciunt, ac penè derident legistæ, & appellant Canonistas simplices,teste Baldo in l.1.in 2. lectura, nu.44. C. de sacrosanct. Eccles.

Hinc, vt experientia docet, si quid lege aliqua, seù decretali determinatum sit; adhuc nulla est certitudo: dubium fit,si verba propriè, vel impropriè; latè, vel strictè sint sumenda; an extendenda, vel restringenda ex ratione,quæ controuertitur; an sit expressa, vel tacita;an sit finalis,vel impulsiua. si recurritur ad glossam, res magis inuoluitur, loquitur amphibologicè; tanquam oraculum. adducit alias leges, alias

decretales in contrarium, pro quarum intellectu difficultas multiplex oritur; & pro vnius intellectu, elaborandum est magis super plurium intelligentia; circa earundem verba, & rationes. si assumuntur interpretes, res fit obscurior. vnus affert vnum intellectum, alter alium. non enim aliõ videntur eorum gloriam posuisse, quàm si alijs cõtradicant; somnient nouos intellectus; nouas construant opiniones. cessante lege, si quid communi Doctorum opinione firmetur, adhuc nulla est firmitas. quisque anceps est, an contraria extet opinio, quæ vel sit magis communis, vel magis rationabilis: an rigor, vel æquitas præferenda sit: an Iuri Ciuili contradicat Ius Canonicũ: an Iuri communi contrarietur municipale, & an iuri scripto repugnet ius consuetudinis, an verò obstet ius speciale, specialis constitutio, rescriptum, bannumvè: idq; an vsu receptum sit, an seruetur in praxi, an vrgeat stylus, firmata tandem iuris dispositione difficultas fit in applicatione, in qua nemo est, qui non erret. Hæc torquent Doctorum mentes. sed multo peiora sunt, quæ litigantium animos cruciant. fit dubium, quæ actio cõpetat; qua exceptione possit elidi; an instrumentum contractus, vel testamenti, vel alterius actus, quo quis nititur, sit in forma probanti, sit validum. & an verba vnum, vel alterum sensum recipiant, an contrahentium, vel testatoris mens verbis conueniat. an plus dictum sit, quàm scriptum. an libellus, vel petitio rectè cõcepta sit. an testes probent. an sint validè examinati. Vndè fit, vt litium euentus sit dubius; litigantiumq. animi nunquam

C   quie-

quiescant: & patrocinãtes ancipiti distrahantur cura, vt modò sperent, modò disperent causæ victoriam. Si quid tãdem Iudicis decreto, vel sententia firmetur, adhuc dubium est, an appellatione possit retractari: an adsit res iudicata: an sententiæ sint conformes: an reuocari possint remedio restitutionis in integrũ: an vitio nullitatis subiaceant: an repugnent foro conscientiæ, vt per denunciationem euangelicam destrui posint. ita, vt nullum in hoc studio videam ignorandi, dubitandiq. finem; nullam sperem vtilitatem; nullam iucunditatem inueniam. Itaq. tuum erit Luci hanc rem mihi planam facere, vt pollicitus es. & postquam Sol occidit, vale.

Luc. Argumenta, quibus in leges humanas, & earum studium inuectus es, non magis oblectarunt, quàm incenderint animum meum, maiori desiderio iuuandi te in tuis studijs. videns te ab initio legum causas, & effectus, cæteraq. subtiliora tàm curiosè inuestigasse: conijcio non fore ex illorum turba, qui satis putant, si quas vulgatisimas conclusiones, & quasdam litigandi formulas, & fori cautelas, vsu quodam didicerint. qui viridariorum curæ præpositi sunt, dum vident plantulas quasdam ita virere, & florere, vt quodammodo magnam, & insolitam fructuum copiam promittant, maiori desiderio eas excolendi commouentur. doleo autem ingenij mei tenuitatem: & vereor, ne mihi contingat quod illis, qui viribus imparia moliri audent. vellem potiùs tecum eruditioris sententiam sciscitari, quàm tibi dubitanti de hisce respondere. Verùm ne tibi mihiq. desim,

VX. Commẽdat Mauri desideriũ, & pro viribus se offert.

quic-

quicquid in me erit, ad tui vtilitatem, Deo benè iuuante, præstare conabor.

Man. Ero tibi perpetuò deuinctus, citò reuertar.

Luc. Hoc tuæ liberæ voluntati paratißimus relinquo.



TER.

TERTIVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Mau.  DSVM Luci concepta spe, vt si nostri priores congressus, quasi nouo vere folia protulerunt, isti sequentes, velut æstate, autumnouè maturos fructus, dulcesq. producant.

Luc. Perpendi tuas dubitationes, quibus tetigisti multa, quæ non breuem discursum, qualem vix audeò polliceri. sed tractatum exigerent copiosiorem: in his tamen studiorum tuorum initijs, hoc solùm pertinere puto ad tuam vtilitatem, vt quæcunque in medium attulisti, ego quadam rationum lenitate, & suauitate exemplorum, velut placido ventorum flatu nubes diluam: & tu in futurum sereno cælo, animoq. magis excitato prosequaris quod cœpisti.

I. Proponit se satisfacturũ difficultatibus propositis breui, faciliq. discursu.

Mau. Hoc cupio.

Luc. Distinguebas legem in diuinam, & humanam. & quò magis illam ob auctoris excellentiam extollebas, eò magis hanc ob conditoris imbecillitatem deprimebas.

II. Ostendit leges humanas non esse oppositas legi, quæ à Deo est, sed ab ea deductas esse per discursum humanum.

Mau. Ita est.

Luc. Si vis modo intelligere qualiter lex, quæ condita est ab homine, nullatęnus opponitur ei, quam Deus concepit, nec diuersa est ab ea, sed est illius particeps, & ab ea deriuatur, cogita mecum, an vllus sit artifex, qui acturus quidquam non anteà mente concipiat quandam rei agendæ rationem.

Mau. Nullus, nisi casu quodã quis ad agendũ erumperet.

Luc. Concepta hac agendi ratione, quam vocant ideam, nonnè artifex delineationem quandam facit futuri operis, ex qua cognoscant illi, quos pro implendo opere adhibiturus est, quid agere debeant, & quo modo?

Mau. Quisq; sanè opifex eius, quod acturus est, formam quandam concipit; quam dicunt graphidem, Archetypum, seù exemplar.

Luc. Opus exinde formatum per artifices adhibitos, erit nè contrarium, seù oppositum operi auctoris?

Mau. Certè non; quatenus præscriptæ formæ, exemplariq. proposito respondeat.

Luc. Dum autem error, & discrepantia cognoscitur. nonnè opus est emendatione?

Mau. Vtiq.

Luc. Iam verò considera, quod sicut fatemur Deum totius mundi creatorem, & gubernatorem vniuersi; ita necesse est, vt fateamur Deum rectam gubernandi rationem, nedum mente concepisse; verùm etiam quasi forma, & delineatione quadam indicasse, quid pro Orbis regimine agendum, omittendumvè sit. qua inspecta, quidquid homines pro Vrbium, & Vniuersitatum gubernatione statuerunt, non vti quid oppositum legi Dei, sed vti ab ea deductum censeri debet.

Mau. Vbi est ista forma, ista delineatio, qua inspecta potuerint homines componere eorum leges?

Luc. Formatur hoc quæsitum in Psalm. 4. ibi, Quis ostendit nobis bona? & respondetur, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Dicunt sacri Theologi, qui de legibus scripserunt, & præcipuè D. Thom.

D. Thom. 1. 2. quæst. 91. artic. 1. in responsione Deum supremum totius vniuersi gubernatorem, cuius Diuina mens nihil concipit ex tempore, sed conceptum habet æternum; ab æterno gubernandi rationem concepisse, quam legem æternam appellant; & definiunt esse summam rationem, vel voluntatē Dei, secundùm quā omnia sunt ordinatissima: & ad eam referunt verba, quæ leguntur Prouerb. cap. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum; antequàm quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata sū, & alia subsequentia; quando legem ponebat aquis, cum eo eram cuncta componens. Hanc dicunt fontem, & originem omnium legum, non latam, sed ferentem; non impressam, sed imprimentem; non deniq. alterius participationem, sed cuius omnes sunt participes. Sot. de iustit. & iur. lib. 1. quæst. 3. art. 1. cōclus. 2. cuius æternæ legis, quasi delineatio, & forma est procul dubio lex naturalis; quam dicunt esse impressionem diuini luminis in nobis. Siquidem indidit Deus in rerum omniū creatione singulis rebus suos instinctus, & stimulos, quibus in fines suos agantur. D. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 2. in respon. & ista vis etiam quoad bruta dicitur lex naturalis, impropriè tamen, & per similitudinem. cui conuenit diffinitio, quam habemus in §. ius naturale, instit. de iur. nat. gent. & ciuil. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Propriè verò lex naturalis dicitur, quoad solum hominem, cui Deus naturalem quandam rationem mente impressit, secundùm quam agat. cui conuenit dictum Iurisconf. in l. omnes populi, §. quod verò, ff. de iustit. & iur. quod naturalis ratio inter ho-

homines constituit, id apud omnes gentes peræquè custoditur, & vocatur ius gentium. ex qua lege naturali, tanquam Archetypo diuinæ voluntatis, & legis æternæ, benè intelligunt, & deducunt homines, quid agendum: Vndè dixit Apost. ad Rom. cap. 2. gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt. atque etiam inspecta huiusmodi graphide, & æternæ legis delineatione, homines per rationem scilicet, & legem naturalem ratiocinando, alias leges, quas humanas dicimus, pro temporum, locorum, & negotiorum qualitate composuerunt: & quãdocunq. in illis deprehensus fuit error, & discrepantia ab exẽplari, eas correxerunt, & reformarunt. ait D. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 3. in respon. ad contr. quod sicut in ratione speculatiua, ex principijs indemonstrabilibus naturaliter cognitis, producuntur conclusiones diuersarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inuenta: ita etiam ex præceptis legis naturalis, quasi ex quibusdam principijs communibus, & indemonstrabilibus, necesse est, quòd ratio humana procedat ad reliqua magis particulariter disponenda. & istæ particulares dispositiones adinuentę secundum rationem humanam, dicuntur leges humanę. Non possunt homines conqueri de humanis legibus. cõpositę enim fuerunt communi eorundem hominum consensu, & non aliundè deductæ, quàm à ratione naturali per discursum humanum. dicitur in l. 1. ff. de legib. lex est commune præceptum virorum prudentum consultum; & communis Reip. sponsio. & in l. ergò omne ius, ff. eodem. omne ius aut consensus fecit,

aut

aut necessitas constituit, aut firmauit consuetudo. & vt legitur in cap. 1. dist. 2. lex est constitutio populi, qua maiores natu, simul cum plebibus aliquid sanxerunt. & quamuis solus Princeps legem condat, l. 1. ff. de constit. princ. ea tamen facta censeri debet populi consensu; quippè qui anteà legem constituebat, §. lex est, instit. de iur. nat. gent. & ciuil. & deindè omnem potestatem transtulit in Principem; & consensit in Regiam potestatem, d. l. 1. ff. de const. princ. quinimò Imperator probauit, humanum esse, vt Princeps non solo nutu, sed Procerum, Patrumq. conscriptorum, & Iudicum vniuerso consensu, leges constituat, l. humanum, C. de legib. Ideòq. humanæ leges dicuntur ab homine eorũ auctore, sicut & quædam leges à proprio conditore, & à propria Ciuitatę nomen sortitæ sunt, c. quædam sunt leges, 2. distinct. §. sed ius quidem ciuile, instit. de iur. nat. gent. & ciuil. & legem nihil aliud esse, quàm quod ratione consistit, dicitur in cap. consuetudo, 1. distinct.

Mau. Lex igitur naturalis est quasi delineatio legis æternæ?

Luc. Ita est, & Deus eam fecit in nobis. docet S. Th. 1. 2. quæst. 91. art. 2. in respons. legem naturalem esse participationem legis æternæ, quæ est in rationali creatura. & hùc tendunt quæ dicebat Cicero in Oratione pro Milone, Hæc Iudices non scripta, sed data est lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm etiam ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. hùc etiam videtur respexisse Bald. in repet. l. Æmilius, nu. 13. col. final. circ. med.

ff. de

ff. de minor. dum ait, nullam esse rationem, quæ non participet esse diuinitatis.

Man. Cum igitur leges humanæ deductæ sint, & deriuatæ à lege naturali, tanquam à forma, & delineatione legis æternæ, poteruntnè appellari Diuinæ?

Luc. Vtique. quod etiam antiquiores intellexerunt. Demosthenes in sua diffinitione, quę refertur in l. nã & Demosthenes, ff. de legib. legem appellat inuentionem quandam, & donum Dei, dogma autem sapientũ. & Imperator in l. fin. C. de præscript. long. temp. ait, maiores nostros subtilissimo animo, & diuino quodã motu leges composuisse. & in l. 1. §. sed neque, C. de vet. iur. enucl. dicit, leges diuinitùs promulgatas fuisse per ora Principum. Cum ergò lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante; necesse est, quod omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernãtibus, à lege æterna deriuentur, ita docet D. Thom. 1. 2. quæst. 93. art. 3. in respons.

Man. Sed quid si rationi non conueniant?

Luc. Leges humanæ, quatenus à ratione declinant, non modo leges habendæ nõ sunt, sed nec appellandæ quidem. est enim lex, inquit Cic. lib. 1. de legib. ratio summa insita in natura, quæ iubet quæ facienda sunt, prohibetq. contraria; eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata, & confecta, lex est. ideòq. dicitur in cap. erit autem lex, 4. distinct. vt lex sit, debet esse honesta, possibilis, secundùm naturam, secundùm Patriæ consuetudinem, loco, temporiq. conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi Ciuium vtilitate

con-

conscripta. hinc dicere possumus cum Bald. in dicta repet. l. Æmilius, d. col. fin. circà med. licèt magnus sit Cæsar, maior tamen est ratio, & veritas; quandò scilicet Princeps stat in finibus suæ priuatæ opinionis, nec transit ad fines publicæ constitutionis.

Mau. Et quando lex humana deuiat à naturali, debet nè corrigi, & ad eius formam reduci?

Luc. Ita sanè, prout iuxta exemplar emendari debet error exempli. nam vt post Diuum Augustin. lib. 1. de lib. arbitr. ait D. Thom. 1. 2. quæst. 95. artic. 2. in respons. non videtur esse lex, quæ iusta non fuerit. & in quantum habet de iustitia, in tantum habet de virtute legis. si verò in aliquo à lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio. & vt ait idem Angelic. Doctor 1. 2. quæstione 93. art. 3. in responsione, omnes leges in quantum participant de ratione recta, in tantum deriuantur à lege æterna, & propter hoc subiungit, dixisse Diuum Augustinum in lib. 1. de liber. arbitr. quòd in temporali lege nihil est iustum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi deriuauerunt.

Mau. Adhùc me turbat hominis imbecillitas, & infirmitas, vt dicebam.

Luc. Quamuis respectu omnipotentis Dei, & sine eius auxilio homo sit creatura imbecillis, & infirma; respectu tamen aliarum creaturarum excellentior est: Deus hominem minuit paulò minus ab Angelis, & constituit eum super opera manuum eius, Psalm. 8. Profectò, Maure, si ea ratione putares humanas leges inutiles, quia ab authore infirmo, & debili positæ sunt; necesse esset, vt etiam panem,

III. Respondet hominē respectu Dei esse creaturam imbecillem, sed respectu aliarum creaturarū esse excellentiorē.

obsonia, vestes, aliaq; hominum opera, & artificia ad humanam vitam omninò necessaria, tibi superflua putares, solo contentus aere, sola aqua, solis terræ frugibus.

Mau. Parce Luci, si quæcunque ab homine composita sunt, suades bona, & appetenda, venenum appete; appete hominum fraudes, malitias, fallacias, vulnera.

Luc. Si homo ratione ducitur, & agit, quod ad alterius conferat vtilitatem; quasi Deo similis est: homo homini Deus, in adagio erat. sin autem à ratione deuius; in alienam salutem, & vtilitatem inuehitur; ferarum pessimus est. respectu animæ, quæ oritur à cælo, & à qua scientia est, homo habet communitatem cum Deo. respectu verò corporis, quod est à terra, & à quo ignorantia, & malitia proficiscitur, communitatem habet cum animalibus, dicebat Lactantius Firmianus lib. 3. de falsa sapientia, cap. 6.

Mau. Ego dicebam de lege diuina, & scripta in sacris paginis, ex cuius necessitate, & vtilitate, ad humanæ legis superfluitatem, & vtilitatem inferebam.

Luc. Recordor. & eodem artificis exemplo dubitationem tollam. Itaque mecum rursus cogita, quid acturus foret artifex, si primam delineationem in aliqua parte corruptam, maculàve deturpatam videret.

Mau. Noua delineatione suppleret; atque, vt omni procul errore opus perficeretur, sui ipsius præsentiam addere non recusaret.

Luc.

Luc. Creauit Deus hominem, inquiunt omnes, ad duplicem finem; naturalem scilicet, & supernaturalem: finem naturalem dicunt statum, quietum, & pacificum humanæ societatis in terra: finem verò supernaturalem appellant felicitatem illam æternam futuræ vitæ. quid autem pro vnius, & alterius finis consecutione agendum, omittendumvè esset, clarè designauit, & monstrauit Deus homini per lumen naturæ. vt enim docent sacri Doctores, homo antè lapsum triplici cognitione præditus erat: rerum scilicet propter se factarum, & creatoris, & sui ipsius, vt per Magistrum sententiarum lib. 2. distinct. 23. lit. C, post præuaricationem autem primi parentis, quasi atramento superinducto, prædicta delineatio, & graphis deturpata remansit in ea parte, quæ supernaturalem finem respiciebat. sic enim confiteri debemus primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse. eamq. non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse, vt decreuit sacrum Concil. Tridentin. sess. 5. cap. 1. de peccato originali. cognitionem autem, & scientiam eorum, quæ pro vsu rerum, & conseruatione humanæ vitæ, & societatis necessaria sunt, peccato non perdidit, vt subiungit Magister dicta distinct. 23. lit. C, vndè tanquam opus esset noua delineatione, dedit Deus legem per Moysen, & Prophetas. quę cum non sufficeret, venit IESVS Christus Filius Dei, quem fateri debemus à Deo hominibus datum fuisse; non solum vti Redemptorem, cui fidant; sed etiam

IV. Ostẽdit per legem naturalem dirigi homines ad finem naturalẽ: per diuinam verò ad supernaturalem.

vti Legislatorem, cui obediant, vt statuit sacr. Conc. Tridentin. sess. sexta, canon. 21. de iustificatione. & in cap. primo, & secundo eadem sess. sexta de iustificatione dicitur, cum homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent facti immundi vsque adeò serui erant peccati, & sub potestate Diaboli, ac mortis. vt non modò gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem, per ipsam etiam literam legis Moysi, indè liberari, aut surgere possent. tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licèt attenuatum, & inclinatum. Quo factum est, vt cælestis Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Christum IESVM Filium suum, & antè legem, & legis tempore sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit: & vt Iudæos, qui sub lege erant redimeret, & gentes quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent. atque omnes adoptionem filiorum reciperent. id quod ex parabola Euangelica Lucæ capit. 10. benè deducunt sacri expositores, etsi graue non putas, audi Euangelica verba, & pulchram propositoq. nostro accommodatam expositionem.

Mau. Rem gratissimam facis.

Luc. *Homo quidam*, Adam scilicet, seù humanum genus. *descendebat à Hierusalem*, ideſt de Paradiso, & statu immortalitatis. *in Hierico*, ideſt in miserias, & defectum vitæ præsentis. *& incidit in latrones*, ideſt in Dæmonum potestatem. *qui spoliauerunt eum*, indumenta gratiæ immortalitatis,

&

& innocentiæ auferendo. *& plagis impositis*, ideſt naturalibus vulneratis, & debilitatis per peccatum. *abierunt ſemiuiuo relicto*, remanente ſola vita naturæ, & amiſſa vita gratiæ. *accidit autem, vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præterijt. ſimiliter Leuita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſiit.* Sacerdos, ſignificat legem, quæ data eſt per Moyſen. Leuita verò ſignificat Prophetas, qui deſcenderunt poſt Moyſen. hi viderunt genus humanum ſauciatũ; quia per legem inducta eſt cognitio peccati; ſed genus humanum ſanare non potuerunt. *Samaritanus autem quidam*, Samaritanus interpretatur cuſtos; & Chriſtus eſt verus cuſtos. *iter faciens*, de cælo deſcendens in hunc mundum propter noſtram ſalutem. *videns eum*, ſcilicet oculo miſericordiæ. *miſericordia motus eſt*, ſcilicet ex eius compaſsione. *& appropriens alligauit vulnera eius*, ſcilicet in baptiſmo peccata eius remittendo. *infundens oleum, & vinum*. oleum infundit in vulnera, cum ſpem pœnitentibus tribuit. vinum verò infundit, cum terrorem, ſcilicet mortis æternæ, pœnarum inferni, & diei Iudicij homini incutit. *& poſuit illum in iumentum ſuum*. Iumentum caro eſt ipſius, in quo poſuit vulneratum, quando peccata noſtra ipſe portauit ſuper lignum in corpore ſuo, vt patet Iſaiæ cap. 54 Verè languores noſtros ipſe portauit. *duxit in ſtabulum*, ideſt in præſentem Eccleſiam. *& curam eius egit*, quia circà ægrotum ſolicitus fuit, ſicut bonus, & fidelis medicus. *Altera die*, prima enim dies fuit dies Paſsionis; altera dies Reſurrectionis, & hæc immortalitatis. *protulit duos denarios*, ideſt duo teſtamenta. *& dedit ſtabulario*,

idest summo Pontifici, idest Petro, & Apostolis, quibus aperuit sensum, vt intelligerent scripturas noui, & veteris Testamenti. & ait, *curam illius habe*, idest corporis, & animę. sic dixit Petro, Pasce oues meas. *& quodcunque supererogaueris*, idest praeceptis meis superaddendo, consilia scilicet, & praecepta, & cum subditis, & fidelibus laborando. *ego cum rediero*, scilicet in Iudicio extremo. *reddam tibi*, reddet enim Dominus IESVS vnicuique iuxta eius opera. Hactenus intelligere potuisti Maure, qualiter lex diuina supplet etiā partem legis naturalis, quae peccati macula obliterata fuit. nec dubitare debes, quin vtraq. lex, naturalis scilicet, & diuina positiua, proueniat ab ęterna illa lege. quia sicut causę inferiores à cęlestibus regūtur, & caelestia agunt in corporibus; ita omnis lex positiua, tàm diuina, quā humana, à lege naturali, & naturalis ab aeterna, & aeterna à Deo regitur. neque existimare debes diuinę legis necessitatem, & vtilitatem excludere necessitatem, & vtilitatem legis humanae: quandoquidem lex diuina dirigit hominem ad finem supernaturalem, humana verò ad finem naturalem, quoad vsum rerum, & conseruationem humanę societatis.

V. *Mau.* Hoc libenter intelligam.

Considerat triplicē hominis statū, & ideò triplicem legē fuisse necessariam, naturalē scilicet, humanā, & diuinam.

Luc. Triplicem hominis statum considerat Magister sententiarum lib. 2. distinct. 19. aitque, quòd in primo statu, scilicet antè peccatum, homo habuit posse mori, & posse non mori. & eius corpus fuit animale, egens scilicet alimonijs ciborum. factus enim fuit primus Adam in animā viuentem, in animā corpus sensificātem, quod egebat cibis, vt per animā viueret. In secundo verò statu, post peccatum, habuit posse

mori;

mori; & non posse non mori. & corpus propter peccatum factum est mortuum, propter necessitatem moriendi. in tertio verò habebit posse non mori, & non posse mori; quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas: quod ex gratia erit, non ex natura. & ita in resurrectione erit corpus spirituale, agile, & cibis non egens, & immortale, non sicut in primo fuit, scilicet, quod possit non mori; sed etiã quod non poterit mori. vndè dicere possumus, quod respectu primi status lex naturalis necessaria fuit, & sufficiens. lex verò humana necessaria est, & vtilis respectu status præsentis vitæ. lex verò diuina omninò necessaria fuit, & vtilis respectu tertij status, & vitæ futuræ. S.Thom. 1.2. quæst. 91. art. 4. in respon. docet, quod præter legem naturalem, & legem humanam, necessarium fuit ad directionem humanæ vitæ, habere legem diuinam, quadruplici ratione. prima, quia homo non ordinatur ad solum finem naturalem; sed etiam supernaturalem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ. Ideò necessarium fuit, vt suprà legem naturalem, & humanam, dirigeretur etiam ad suum finem, lege diuinitùs data. secunda, quia propter incertitudinem humani iudicij, præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus, contingit de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia. propter incertitudinem humani iudicij, homo scire non posset absque dubitatione, quid ei agendum esset, & quid vitandum, ratione finis supernaturalis; ideò necessarium fuit, vt dirigeretur per legem diuinitùs datam, de qua constat, quòd non potest errare. tertia, quia iudicium huma-

num non poteſt eſſe de interioribus moribus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus, qui apparent. & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in vtrisq. actibus homo rectus exiſtat. & ideò lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus: ſed neceſſarium fuit, quòd ad hoc ſuperueniret lex diuina. quarta, quia ſicut dicit D. Auguſt. lib. 1. de lib. arbitr. lex humana non poteſt omnia, quæ malè fiunt, punire, vel prohibere. vt ergò nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſuperuenire legem diuinam, per quam omnia peccata prohibētur. & ſubiungit iſtas quatuor cauſas tangi in Pſalm. 18. vbi dicitur, Lex Domini immaculata, ideſt nullam peccati turpitudinem permittens. conuertens animas, quia non ſolum exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit. Teſtimonium Domini fidele, propter certitudinem veritatis, & rectitudinis. ſapientiam præſtans paruulis, in quantum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem, & diuinum.

Mau. Dic modò an humanarum legum inuenta, de quibus diſſerui, neceſſaria fuerint, & vtilia, & primò de poteſtate.

VI Incipit loqui de poteſtate, probatq. eã à Deo eſse, & fuiſse omninò neceſsariam pro lege ferenda, interpretãda, & exequenda.

Luc. Non eſt poteſtas, niſi à Deo. & Deus ipſe, poteſtas eſt incomprehenſibilis, & ſempiterna. cap. 3. Deut. Poteſtas Dei eſt. Pſal. 61. in fin. Ipſe creauit cælum, & terram, Geneſ. cap. 1. Cætera deindè creaturus, iuſſu quodam dixit, Fiat lux; Fiat firmamentum; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. vt autem hominem creauit marem, & fœminam, ſubiungitur eodem cap. 1. Geneſ. Benedixit illis Deus, dicens,

dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite terram, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animalibus, quæ mouentur super terram. Vndè patet potestatẽ, & imperium esse ipsius Creatoris, qui cum ad suam imaginem hominem creasset, eidem potestatem, imperium, dominiumq. super alijs creaturis fuit elargitus.

Mau. Quorsum hæc, si homo vti rebellis eiectus statim fuit de Paradiso; eiq. omnes aliæ creaturæ reluctantur?

Luc. Homo quidem propter lapsum amisit illum facilem, & minimè laboriosum dominandi actum: sed retinuit ius eiusdem dominij, hac tamen conditione; vt nonnisi cum labore actu posset dominari. Hanc enim Deus tulit sententiam, Genes. cap. 3. Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. in sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus es. Sua quidem spontè terra seruiuisset plantis; & plantæ animalibus, & animalia homini. sed post prædictæ sententiæ promulgationem, terra nonnisi humano opere exculta, plantæ nonnisi humana accedente industria, animalia nonnisi hominis cura custodita, eiusq. magisterio erudita, homini valent inseruire. & quamuis remaneant aliqua animalia suaptè natura homini infensa, & inimica: in eis tamen, quamuis ferocissimis, remanent quædam vestigia seruitutis erga hominem, quem velut Principem naturaliter timent, eiusq. præsentia valdè terrentur, vt de elephante, tigride, & alijs, tradunt naturales.

Mau.

Mau. Supereſt, vt mihi oſtẽdas, an à Deo ſit, vt homo homini imperet.

Luc. Docet Apoſtolus ad Rom. cap. 13. non eſſe poteſtatem niſi à Deo, & omnem animam ſublimibus poteſtatibus ſubeſſe debere, eumq. Dei ordinationi reſiſtere, qui poteſtati reſiſtit: quod refertur in cap. omnis anima, de cenſib. & vt legitur in Deuteron. cap. 7. qui Principi non obedierit, morte morietur. vt refertur etiam in cap. 2. de maior. & obed. & ex auctoritate Petri Apoſtoli dicitur in cap. ſolitæ, eodem tit. de maior. & obed. Subditi eſtote humanæ creaturæ propter Deum, ſiuè Regi tãquam præcellenti, ſiuè Iudicibus tanquam à Deo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Deus ipſe præfecit populo Moyſen, Exod. cap. 3. & Dauid quoque electus eſt diuina ordinatione, 1. Reg. cap. 16. & vt dicitur in cap. magnum, 11. quæſt. 1. nemo conſtitutionem terreni Regis contemnere debet. ſi enim cenſum Filius Dei ſoluit, quis homo tantus erit, qui non putet eſſe ſoluendum? ſi ſummus rerum omnium opifex vniuerſo orbi imperat; ſi ſuperiora inferioribus dominantur; ſi homo præeſt cæteris animantibus; ſi anima corpori, ſenſui ratio, caput membris, filio pater, magiſter diſcipulo imperant, & præcipiunt, quæ agenda ſint: conuenit etiam, immò neceſſe eſt, vt pro regimine Reipublicæ ſint aliqui, qui cæteris imperẽt, & dominentur. ſi æqualis eſſet omnium poteſtas, nõ eſſet, qui vnius, vel alterius audaciam comprimeret, cohiberet ambitionem, cupiditatem refrænaret, coerceret malitiam. quælibet domus, quælibet ſocietas, vniuerſitas, ciuitas, prouincia, regna, imperia, totusq.

de-

deniq. Orbis, quasi nauis rectore destituta, furenti mare corruerent, perirent: immò nullum est animátium genus, inter quę Principatus, & Imperium non dignoscatur: cum etsi gregatim currant, aut volitent, vnum tamen apparet cætera ducens suo imperio, cap. in apibus 7. quæst. 1. Verum est, quod par in parem non habet imperium, l. nam magistratus, ff. de arbitr. sed quamuis omnes homines eiusdem sint generis, & speciei, & sic pares in substantia; ex accidenti tamen sunt inæquales. Plato de legib. dial. 3. constituit septem imperandi dignitates: Prima est, vt pater, & mater, & simpliciter genitores, vbiq. natis imperent: Secunda, vt ignobilibus generosi: Tertia, vt iunioribus seniores: Quarta, vt Domini seruis: Quinta, vt potentiores dominentur, imbecilliores seruiant: Sexta, vt ignorantes sequantur, & prudentes ducant: Septima, & vltima vt is, quem sors elegerit, imperet; ille verò quem repulerit, pareat. Aliter etiam dicere possumus, par in parem non habere imperium, idest à seipso. sed quia potestas, & sufficientia regendi à Deo pendet, vt enim ait Apostolus ad Corint. 2. c. 3. non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis: sed omnis sufficientia ex Deo est. Statim, vt quis eandem potestatem assequitur, alijs efficitur superior, itavt non amplius tanquam par possit considerari.

Mau. Potestas igitur conuenit diuinę legi, & naturali, & est omninò necessaria, & vtilis pro conseruatione humanæ societatis, & pro hominis directione ad vtrumq. finem.

Luc. Iam dixi, & addo, potestatem à Deo triplici ra-

ratione inter homines distributam fuisse; pro lege scilicet ferenda; pro lata interpretanda; & pro ea exequenda. Pro lege ferenda, nam Deus de cælo constituit Imperium, vt difficilibus imponat, quæ apud eum sunt bona,& leges aptet secundùm naturę varietatem, §. quia igitur auth. de fid. instrum. & procul dubio non est lex, nec ligat absque potestate. l. fin. ff. de iurisdict. omn. Iud. Pro lege interpretanda; quia ait Gaius in l. 2. §. post originem, ff. de orig. iur. constare non potest ius, nisi sit aliquis Iurisperitus, per quem possit quotidiè in melius produci.& Imperator in l. leges sacratissimæ, C. de legib. inquit, Si quid in legibus latũ fortassis obscurius fuerit, oportet id Imperatoris interpretatione patefieri, duritiamq. legum humanitati incongruam emendari. Pro ea exequenda; nam vt dicitur in d. l. 2. §. post originem, ff. de origin. iur. parum esset ius in Ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possint. & in cap. vbi periculum, §. præterea, de elect. lib. 6. dicitur parum est iura condere, nisi sit qui eadem tueatur, & vt legitur 3. Reg. cap. 10. Deus constituit Regem, vt faceret iudicium, & iustitiam.

Mau. Vim facit, quod legimus, Principatus scilicet, & Imperia multa ex superbia, & praua hominum cupiditate processisse.

Luc. Semper à Deo potestas est, siuè boni, siuè mali eam exerceant. Saluator noster respondit Pilato, non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datũ esset desuper, Ioan. in Euang. cap. 19. non est potestas nisi à Deo, siuè iubente, siuè sinente. c. quid culpatur 23. quæst. 1. si mali sunt actus nostri, & operamur

ma-

malignum in conſpectu Domini; dantur nobis Principes ſecundùm cor noſtrum, c. audacter, 8. quæſt. 1. Et ex merito plebis, nonnunquam Epiſcopi deprauãtur, quatenus procliuius cadant, qui ſequuntur. c. ex merito, 6. quæſt. 1. legitur Iob cap. 34. Deus facit regnare hypocritam, propter peccata populi. & Oſeæ cap. 13. dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. & Prouer. cap. 8. Meum eſt conſilium, & æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Docet Magiſter ſententiarum lib. 2. diſt. 44. lit. B, tumoris elationem, non poteſtatis ordinem in crimine eſſe: potentiam enim Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia noſtræ mentis inuenit. Verùm, quoniam nemini Deus mandauit impiè agere; & nemini dedit ſpatium peccandi, Eccleſiaſtic. cap. 15. ideò poſt Luciferi caſum, Iſai. c. 14. Nembrot, cum eius turri deſtructus eſt, Geneſ. c. 11. Pharao, cum Ægyptiorum exercitu, in mari rubro ſubmerſus, Exod. c. 14. Nabuchodonoſor, ex hominibus abiectus eſt, & fœnum, vt bos, comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt; donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues quaſi auium. Daniel c. 4. Dathan, & Abyron terra fuerunt abſorpti, Num. c. 16. Sennacherib à filijs iugulatus, 4. Reg. c. 19. in fin. & Antiochus à vermibus conſumptus, 2. Machabæor. c. 9. Certum eſt, eos, qui præſunt alijs, ob eorum delicta crudeliùs puniri, quam cæteros, c. præcipuè, 11. q. 3. maiori reatu delinquit, qui potiori honore perfruitur: grauiora facit vitia peccatorum,

torum,sublimitas peccantium. c. nulli fas, 25. quæst. prima.

Mau. Hæc potestas nonnè auget humanam cupiditatem?

VII. *Luc.* Hæc potestas, cum sit diuini muneris, non autem humani consilij, non alit; sed comprimit cupiditatem, omnium malorum radicem. confouet charitatẽ, radicem omnium bonorum. si æqualis esset hominum conditio, certè praui homines non aliud magis cuperent, quàm super alios efferri; sed dum diuina prouidentia paucos extulit, cæterorum omnium libidinẽ dominandi restrinxit. quæ si adhuc inter homines excitat bella, contentiones, controuersias, rixas: certè magis fureret, nisi cõpressa esset intrà angustos fines. Quando homines (quod solo Dei permissu euenit) vel vsurpant imperia aliena, vel propria regunt nimia ducti cupiditate, ad propriam vtilitatem, & cõmodum priuatum, vtiq. cauendum est ab eis, vt dicebas. Virtus cum eorum potestate non coit; nulla eos recreat quies; semper pauent; ira Dei eos insequitur; abominabiles sunt in conspectu eius. quando verò, quod Dei fit iussu, Imperium legitimè consequuntur, illudq. sola ducti charitate, & iustitia exercent, respiciunt populorum commoda, societatem ciuilem conseruant innocenter, absque iniuria augent cuiusq. substantiam, & dignitatem: tutum est ad eos refugium; sunt optimum populi præsidium; coeunt virtus, & potestas; quietè viuunt, feliciter dominantur; pugnat Deus pro eis. Boni Principes benè intelligunt, non suum, sed Dei, esse Imperium. optimè sciunt non esse factos homines propter Principes, nec

Respondet potestatẽ humanam non fouere, sed omninò cõprimere cupiditatẽ malorũ radicẽ.

vt

vt Principum emolumentis seruiant; sed Principes à Deo constitutos fuisse ad populorum commodum, & ministerium iustitiæ, non putant populum propter Principatum; sed Principatum existere propter populum. docet Plato in lib. 16. ciuil. vel de Regno, veram rationem gubernandi hanc esse, vt qui gubernat, semper ita ad salutem subditorum respiciat, sicut ad nautarum, nauisq. salutem respicit gubernator. hinc admonet Cicero primo Officiorum, omninò qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant; vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt ad eam referant obliti commodum suorum: alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliqua deserant; vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissi, gerenda est.

VIII. De tyrãnide disserit, & recẽset quosdã actus tyrannicos.

At si quis secus agat, Tyranni potius, quam Principis vices gerit. actus tyrannicus specialiter consistit in affligendo subditos; & dicitur tyrannus, qui angustiat, & cruciat suos, Bart. in tractatu de tyrannia, quæst. 2. nu. 7. Plutarch. de regim. Princip. notat decem actus tyrannicos, quos repetit Bart. in eodem tract. de tyrannia, 8. quæst. num. 27. Primus est, quando Princeps, potentes, & excellentes homines Ciuitatis perimit: ne contra ipsum possint insurgere; Secũdus, quando sapientes discriminat; ne cognoscentes mala arguant, & populum contra ipsum prouocent. Tertius, quando disciplinam, & studium nedum perimit; sed etiam operatur ne fiant sapientes: semper enim timet per sapientiam reprehendi. Quartu,

tus, quando congregationes licitas non permittit; timens ne contra eum insurgant. Quintus, quando habet per Ciuitates plures exploratores; cum enim cognoscit, se malè agere, semper credit, quòd homines de se malè loquantur, & contra ipsum machinentur. & ex hoc tales relatores libenter audit. Sextus, quando conseruat Ciuitatem in diuisione, vt quælibet pars de alia timeat, & contra ipsum non insurgat. Septimus, quando curat subditos facere pauperes, vt sic occupentur circa curas eorum, vndè viuant. & contra ipsum non contingat aliud machinari. Octauus, quando procurat bella, & mittere bellatores ad partes extraneas, ita vt interim contra eum non cogitent: sed propter bella homines depauperẽtur, & auocentur à studijs: atque vt ita habeat bellatores sibi, quando expedit. Nonus, quando sui custodiam non facit per suos, sed per forenses: timet enim de ciuibus. Decimus, & vltimus, quando in Ciuitate sunt partes, & ipse semper vni adhęret, vt cũ illa aliam fugare possit. & Bart. in loco præalleg. declarat quem posse esse tyrannum, vel ratione mali exercitij, quando eius opera non cedit ad bonum cõmune; sed ad proprium eius commodum. vel ex defectu tituli, quando scilicet quis in Ciuitate, vel Regno sine iusto titulo principatur.

Mau. Quos dicunt homines iustos esse dominandi titulos?

Luc. Succesionem, electionem, contractum, occupationem, & ius belli.

Mau. Incidimus in difficultates iam propositas.

IX. Loquens de *Luc.* Verum dicis. at quoniam hactenus intellexisti legem,

legem, potestatemq. humanam à Deo esse, mox intelliges meum, & tuum, rerum scilicet diuisionem non fuisse hominum inuentum, vt dicebas: sed ea esse quasi prima principia iuris naturalis per homines ductu rationis explicata.

meo, & tuo, & rerum distinctione probat ea cō uenire rationi tam naturali, quā diuinæ.

Man. Audiam libentissimè.

Luc. Hæc sunt prima principia, quæ natura omnia animalia docuit. Coniunctio maris, & fœminæ; liberorum procreatio, & educatio, §. ius naturale, instit. de iur. nat. gent. & ciu. Hæc dictat natura homini quasi præco diuini edicti, promulgatrix æternæ legis Dei. Qui cum creasset hominem masculum, & fœminam, benedixit illis, dicens; Crescite, & multiplicamini; & replete terram, Genes. cap. 1. cum autem eos eiecisset de Paradiso, dixit mulieri, In dolore paries filios, & dixit Adæ, In laboribus comedes, & in sudore vultus tui vesceris pane, Genesis cap. 3. prædicta igitur præcepta per naturam promulgata perscrutantes homines, etiam ab initio rudes, proprias cognouerunt vxores, proprios filios educarunt; & vt quisque proprio opere, & labore, sibi suisq. vxoribus, & liberis prouideret, necessariò cognouerunt distinguendum esse meum, & tuum. & primò solum vsum rerum distinxerunt, & res habuerunt proprias, ratione solius vsus, & possessionis: deindè, aucto hominum numero, discretę fuerunt gentes, & distincta dominia, & agris termini positi, l. ex hoc iure, ff. de. iustit. & iure. sic primus parens operatus fuit terram, & de eius fructibus se, vxorem, & liberos aluit in sudore vultus sui, & pane suo. Mox, quando filij Adæ creuerunt, Cain fuit Agricola; & de fructibus terræ,

quos, scilicet rationo vsus, proprios faciebat, obtulit munera Domino. & Abel fuit pastor ouium, & ex fructibus gregis sui sacrificauit, Genesis cap. 4. & quamuis sacra Scriptura ibi non faciat mentionem, nisi de Cain, & Abel; præsupponere tamen videtur, tunc extitisse plures homines super terram ex primis parentibus procreatos: nam si Cain, vt subiungitur in textu, occiso fratre Abel, cum à Deo corriperetur, conquerebatur dicens, Omnis ergò, qui inuenerit me, occidet me? & respondit Deus, Nequaquam tibi fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur; clarè sequitur, quod si alij tunc non extitissent, nulla timoris causa fuisset. Deindè, si, vt legitur ibidem, Cain cum profugus habitaret, cognouit vxorem suam, quæ peperit Enoc; ergò inter plures tunc erat proprius vsus rerum. tunc vxores proprię erant. Posteà, quando genus humanum excreuit; fuerunt diuisæ res, quoad proprietatem in diebus Phaleg filij Heber, qui fuit abnepos Sem primi filij Noè, vt refert Diuus Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 6. cap. 3. & cap. 10. & hoc idem legitur in primo Paralip. cap. 1. ibi, porro Heber nati sunt duo filij, nomen vni Phaleg; quia in diebus eius diuisa est terra. Abraham, & Loth, quæ communiter possidebant, diuiserunt, Genesis cap. 13. Moyses, & Iosue diuiserunt bona inter Tribus iussu Dei, Iosue c. 13.

Mau. Meum igitur, & tuum conuenit iuri diuino?

Luc. Vtique. & eo iure præcipitur non furtum facies; non concupisces rem proximi tui; non retinebis mercedẽ mercenarij tui vsque ad mane. glos. in l. ex hoc iure, in verb. dominia distincta, ff. de iust. & iur.

Mau.

Mau. Sed quomodo conuenit iuri naturali, si eo iure omnia sunt communia?

Luc. Iure naturali sunt omnia communia, idest tempore necessitatis omnia sunt communicanda, vt explicat glos. fin. in l. 2. §. cum in eadem, ff. ad l. Rod. de iact. & glos. in c. sicut, 47. dist. in verb. commune. Aduertit Archid. in c. ius naturale, n. 5. 1. dist. naturalē rationem dictare, vt quantum ad multiplicationem generis humani, vxor sit propria. quantum ad educationem, proprij sint filij. quantum ad vsum rerum, & conseruationem humanæ societatis, aliqua sint propria: ne alioquin si boni operarētur, ociarentur mali; si industriosi laborarent, fruerentur ignari.

Mau. Non ergò magis quietè viuerent homines sine meo, & tuo?

Luc. Experientia docet, communionem discordias excitare, l. cum pater, §. dulcissimis, ff. de leg. 2. Propter immēsas discordias plerumq. res ad diuisionem peruenit, l. in re communi, ff. de seruit. vrban. præd. & cum sit naturale vitium negligi, quod cōmuniter possidetur, l. 2. C. quādo, & quibus quar. pars lib. 10. nulla esset inter homines virtus; ars nulla; nulla industria, si omnia inter homines communia existerent.

Mau. Quid ergò dictitabant Philosophi?

X. De diuitijs differit, & an licitè appetātur, explicātq. euāgelicū dictum facilius esse per foramē acus Camelū intrare, quam diuitē in regnum cęlorum.

Luc. Homines quietissimè viuerent sine meo, & tuo; idest sine immoderata habendi cupiditate: quæ si extingueretur, quam maxima esset humanæ societatis tranquillitas. ideòq. Seneca in lib. de morib. quærit, quæ sunt diuitiæ maximæ? & respondet, non desiderare diuitias. Omnes quidem scimus in diuitijs cupiditatem reprehendi, non facultatem.

Mau. Ergò meũ,& tuum conuenit iuri diuino,& naturali? ergò bonæ sunt diuitiæ? at si hoc est, qua ratione dicitur in Euang Marc.c. 10. facilius esse Camelũ per foramen acus intrare, quam diuitẽ in regnum cęlorũ?

Luc. Nota præcedentia verba eiusdẽ textus, ibi, filioli, quàm difficilè est cõfidentes in pecunijs in regnũ Dei introire. ea enim apertè indicant, diuitẽ ibi sumi pro auaro, cuius inordinatus est amor habẽdi,& qui superabundat in amando,& retinendo,& deficit in dando. Cui Deus licèt de potẽtia posset dare gloriã æternam: nõ tamen potest de iustitia. & ideò facilius est, volẽte Deo, vt funis nauticus intraret in foramen acus, quã vt auarus in cælũ: cum resistat diuina iustitia. Dixerunt nonnulli in Ciuitate Hierusalẽ extitisse quandã paruã portam, quæ vocabatur acus. ad quam, cũ veniebant Cameli pro cõpendio viæ non poterant cũ suis oneribus transire sub illa: exonerati tamen transibant. & receptis deindè oneribus itinerabãtur. Quia igitur facilius est, vt Camelus exoneretur, quàm vt auarus deponat amorẽ diuitiarum; ideò facilius est, vt Camelus intret in portã acus, quàm vt auarus intret in portam Paradisi. nam sicut ij, qui per insaniã mente translati sunt, nõ iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentũ videt, semper redditus cõputat, gratius aurũ intuetur, quàm Solem. & de his est textus in c. sicut, 47. distinct. & ibi notat Archidiac. dicto num. 5.

Mau. Non ergò licet appetere, & amare diuitias?

Luc. Ratione necessitatis,& cõseruationis sui status licet amare,& appetere diuitias, vt optimè distinguit Alex.

de

de Alef. in 2. par. Summæ, quæst. 108. ideòq. Salomon Prouerb. 30. dixit Domino, mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribuè tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam quis est Dominus? aut egestáte compulsus furer, & periurem nomen Domini. & vt ait S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 6. temporalia licet desiderare, non quidem principaliter, vt in eis finem constituamus: sed sicut quædam adminicula, quibus adiuuamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur; & in quantum nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum, vt etiam Philosoph. dicit 1. ethic. & ideò pro temporalibus licet orare. & hoc est, quod D. Augustin. dicit ad Probam quòd sufficientiam vitę non indecenter vult, quisquis eam vult, & non ampliùs. quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, vt non sit incóueniens eis, cum quibus viuendum est. ista ergò cum habentur, vt teneantur; cum non habentur, vt habeátur, orandum est. Ratione autem anxię superfluitatis, malum est diuitias appetere: vndè D. Hieronymus ad Demetriadem dicebat, diuitiarum amor insatiabilis est; & expleri nescit bonorum cupido, accelerantes habituræ finem, sine fine quæruntur. Hæc quidem anxietas habendi superflua, non hominem beatum, sed calamitosum facit. hinc Seneca ad Lucil. epist. 99. ait, Calamitosus est animus futuri anxius; & antè miserias miser, qui solicitus est, vt ea, quibus delectatur ad extremum vsque permaneant. & sanè diuitem esse consistere videtur in vtendo magis, quam possidédo;

quia, vt ait Arist. lib. 5. Rethor. frugifera sunt, ex quibus reditus capimus; quibus verò fruimur, ex his nihil magni præter vsum consequimur. Admonet David Psal. 61. Diuitiæ si affluant; noli cor apponere. & ait Salomon Prouerb. cap. 11. Qui confidit in diuitijs suis, corruit. Ratione deniq. voluptatis superfluæ, diuitiæ malè appetuntur; quia sic peccato auaritiæ adduntur peccata gulæ, & luxuriæ: vndè de diuite Epulone in Euang. Lucæ 16. dicitur, quod erat diues, qui induebatur purpura, & bysso; & epulabatur quotidiè splendidè. quo loco Beda declarat, non reprehendi diuitem, quia terram coluerit, vel fructus in ea congregauerit: sed quia fiduciam vitæ in illis posuerit, nec paùperibus erogauerit, vt ab eis reciperetur in æternis tabernaculis.

Mau. Profectò negari nō potest, quin ex hoc meo, & tuo plura vitia inualuerint. auaritia in retinendo; rapina in acquirendo; luxuria in abutendo; & prodigalitas in effundendo.

Luc. Negari etiam non potest, quin totidem virtutes contrariæ insurrexerint, liberalitas in erogando; pietas in subueniendo; prudentia in cōparando; & parsimonia in conseruando. quę virtutes, si omnia essēt communia, prorsus iacerent: prædicta autem vitia sola dominarentur.

Mau. Nonnè magis quietè homines viuerent, saltem si diuisio fuisset facta æqualiter, vt nemo indigeret?

Luc. Æqualitatem inter ciues proponebat suis legibus Plato: sed ea displicuit Platoni in 1. Politic. & nullis recepta est Vrbibus. Hæc est æqualitas seruanda in Republica Christiana, vt alij sint diuites, alij pauperes.

peres: neque enim iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia. etsi enim pauper eget diuitis liberalitate, & pietate; diues pariter indiget pauperis opera, & oratione. nec censeri debet inæqualitas, si Deus diuiti voluit benignitatis suæ experimenta conferre; pauperem verò per virtutem patientiæ coronare. tunc sanè res reducitur ad sanctam æqualitatem, quando diues benè, vt oportet, intelligit esurientium panem esse, quem ipse detinet; & nudorum indumentum, quod recludit; & miserorum redemptionem & absolutionem, pecuniam, quam in terram defodit, iuxta dicta S. Ambrosij relata in dicto cap. sicut, 47. dist. & quādo secum benè cogitat, nullā se ex diuitijs laudem apud homines, nullamq. apud superos gloriam consecuturum, nisi ea, qua decet, pietate, & liberalitate illis vtatur. nec est, vt diues sese extollat, dum euenire potest, vt deprimatur, eiq. in extremo Iudicio respondeatur, Recepisti bona in vita tua, c. cauendum, de pœnit. distinct. 3. neque est vt contristetur pauper ob rerum indigentiam, dum sperare potest, fore, vt, purgato aliquo scelere, gloriam ascendat. vt enim dicitur in c. quid ergò turbamur, de pœnit. dist. 3. non potest malus in omnibus malus esse, neque bonus in omnibus esse bonus: sed habet aliqua peccata. cum ergò prosperitatem malus habet, malum capitis sui est: cum enim pro illis paucis retributionem hic accipit, illic iam plenius punietur.

Mau. Iam verò quid dices de aurea illa ætate, & de sæculis nostris, quæ peiora præteritis reddita sunt, vt dicebam?

Luc. Equidem non inuenio, quo vnquam tempore XI. Respondet

ad obiectũ de aurea ætate, putatq. illã nũquam extitisse, & affert rationẽ quare senes vt plurimũ laudant preterita tẽpora, & presentia despiciunt.

extiterit illa aurea ætas à cupiditate semota, plena pace, & iustitia. primi parentes statim rebelles facti sunt creatori suo. terra statim, & animalia contra hominem, contra dominum hostilia referre cœperunt. inter primos genitos, odia statim exorta sunt, & cędes. Illud autem, quod Poetæ fabulati sunt, referri posse puto ad priorem statum gratiæ: ipsi enim Gentiles cognitionem etiam habuerunt librorum Moysis, tametsi infructuosam. quantum verò ad sæcula, omnia ferè eadem fuisse puto. omni ætate aliqui garruli senes conquesti fuerunt, quasi mores in dies deprauentur, & ruant in peius; ampliùs non inueniatur amicitia, integritas, qualis erat suis temporibus. quorum opinionis rationem triplicem considero: vna est, quòd senes transacto læto illo, & florido iuuentutis tempore, velut inuidi, ferre non possunt, si videant adolescentes aliquam voluptatem quærere. altera, cum senectus, vt plurimum iunioribus permolesta sit, vt se vident senes à iuuenibus sperni, quasi vindices increpant præsentium temporum mores: & mirabilia de se ipsis, suisq. temporibus enarrant. postrema, dum se vident deficere, cætera omnia putant secum defecisse. Testis sit mihi Cornelius Gallus ibi.

Stat dubius, tremulusq. senex, semperq. malorum
Credulus, & stultus, quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos,
Hoc tantum rectum, quod facit ipse putat;
Se solum doctum, se iudicat esse peritum;
Et quod sit sapiens, desipit ipse magis.
Multa licet nobis referens, eademq. reuoluens,
Horret; & alloquium conspuit ipse suum.

Certè

Certè dum animaduerto, eundem rerum Creatoré, eorum, quæ creauit, omni tempore curam habuisse; semper fuisse idem cælum, idem mare, terram eandé, eosdem terrę fructus, intelligere non possum, quid efficere potuerit, vt omni tempore non fuerint eiusdem generis homines, ijdem mores. quam rem optimè explicasse videtur Seneca Epist. 98. ad Lucill. dicens, Erras mi Lucilli, si existimas nostri sæculi esse vitium, luxuriam, & neglıgentiam boni moris, & alia, quæ obijcit, suis quisque temporibus. hominum sunt ista, non temporum. nulla ætas vacauit à culpa.

Mau. Vt omninò satisfactus remaneam de meo, & tuo, dic quæso, an imitatione, & laude digni sint illi, qui Saluatorem nostrum imitantes, proprias res habere recusarunt, vt dicebam?

Luc. Vtique; sed pari imitatione, & laude digni sunt etiam illi, qui res proprias retinuerunt charitatem exercentes, & pietatem. Duo sunt genera Christianorum, vt dicitur in Canon. duo sunt genera, 12. q. 1. vnum est Clericorum; illorum scilicet, qui mancipati sunt diuino officio, contemplationiq. dediti, & orationi. qui idcircò cessare debent ab omni strepitu téporalium, eorumq. capitis rasio, capillorũ rasura, clericalis corona indicat temporaliũ depositionem; vt cõtenti sint victu, & vestitu; rerum auté proprietaté non habeant. alterum est laicorum, qui occupantur circà curam, & conseruationem temporalium: & licitè retinent res proprias, dummodo illis non abutantur; & benè saluari possũt, si vitia, benefaciẽdo, euitauerint.

XII. Respondet non minus meritũ esse laicorum si proprijs bonis benè, piè que vtãtur, quàm Religiosorũ, qui propria recusat habere.

Mau. Nonnè igitur ex distinctione mei, & tui orta sunt bella, vt dicebam?

XIII. *Luc.* Orta sunt occasionaliter ex priori distinctione mei, & tui, quoad rerum vsum, antè tamen dominiorum distinctionem, antè dies Phaleg, quibus res diuisæ fuerunt quoad proprietatem, vt dicebam. legitur enim in Gen. c. 4. inter filios Cain extitisse Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cūcta opera æris, & ferri. & vt putant aliqui, acuebat etiam ferrum ad vsum belli. & inuentores bellorum, vt dicitur, fuerunt filij Cain, & Lamech, & cum dicat sacra Scriptura, antè diluuium creuisse hominum malitiam ad summum, Genes. c. 6. existimandum est, etiam viguisse bella, & iurgia. si enim erant qui alios offenderent, necessariò etiam fuerunt, qui se, & alios defenderent. & bella præcessisse dominiorum distinctionem, clarè deducitur ex l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur. vbi primo loco dicitur introducta fuisse bella, deindè discretas gentes, regna condita, & dominia distincta.

Disserit de ortu belli, probatq ortum fuisse antè diuisionem rerum.

Mau. Si bella introducta sunt de iure gentium, ergò conueniunt cum lege naturali, & diuina?

Luc. Hoc sequitur ex præmissis.

XIV. *Mau.* O vtinam homines contrarium experti non fuissent, & non contingat, nos vlterius hisce temporibus experiri. Non pariunt bella, nisi cōtemptum Dei, sacrilegia, incendia, cædes, direptiones Vrbium, agrorum depopulationes, destructiones populorum.

Ostēdit bellū cōuenire tam iure naturali, quàm diuino ratione defensionis.

Luc. Ait Bart. in d. l. ex hoc iure, nu. 2. bella licita esse de iure dispositiuè; illicita verò non dispositiuè, sed occasionaliter. & ibi Bald. num. 6. dicit, ex bellis finaliter sequi bona, si bellum sit iustum; quia rebelles reducuntur ad debitum rationis: & cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. & iustum est om-

nia

nia ſuo fine determinari. & ſicut in naui non attenditur periculum maris, quia hoc eſt de natura ſua; ita nec in bello. & ſicut acceſſorium diſponitur ſecundũ exigentiam principalis diſpoſiti; ita ordo diſponit ſecundùm exigentiam ſui finis. Bellum ergò licitum, quod ſcilicet fit ad defenſionem, conuenit iuri naturali: non autem illicitum, quod fit ad offenſionem, & iniuriam. vt enim vim, & iniuriam propulſemus, iure hoc euenit; hominem autem homini inſidiari nefas eſt, dicit Vulpian. in l. vt vim, ff. de iuſtit. & iur. Conuenit etiam iuri diuino, quia defenſio conuenit ad charitatem, quæ eſt de iure diuino. cap. charitas eſt, vt mihi videtur, de pœnitent. diſtin. ſecunda; immò, vt dicit Paul. de Caſtr. in d. l. ex hoc iure, num. 10. licet aliquando ex parte principij bella non ſint probata iure diuino; ex parte tamen finis poſſunt approbari, ſcilicet, ſi, poſt ſubiectionem, ſequitur iuſta & recta dominatio, prout patet in Imperio Romano, quod per vim, & violentiam creuit in libidinem dominandi; & tamen à Deo poſteà probatum eſt, vt in Euangel. Matthæi capit. 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. nemo eſt, qui neſciat, pharmacum eſſe rem permoleſtã. eam rem tamen fatemur omnes omninò neceſſariam ad repellendum morbum, ad reſtituendam corporis ſanitatem. ſic bellum per antiphraſim dictum, quaſi minimè bellum, eſt malum omninò neceſſarium ad repellendũ hoſtes, ad reſtituendã Reipublicæ pacẽ. nullũ ſanè bellũ eſt, quod ex vna parte non ſit licitũ. cum enim bellũ ſit contrariorũ, neceſſe eſt, quod vna pars foueat iuſtitiam, quia contrariorũ extre-

extremorum si vnum est æquum, aliud est iniquum; Bald. in d. l. ex hoc iure, nu. 12. aliquando autem potest esse iustum ex vtraq. parte; quando vtraq. pars putat se iustam causam defendere, Sot. de iustit. & iur. lib. 5. quæst. 1. art. 7.

XV. Refert Lucius plures auctoritates de necessitate, vtilitate, & iustitia belli.

Placet referre nonnulla dicta S. Augustini, & aliorum Patrum in hac materia, quæ leguntur in libro Decreti: militare non est delictum; sed propter prædam militare peccatum est. ad quam cupiditatem extinguendam, certa militibus constituuntur stipendia. & apud veros Dei cultores etiã ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur; vt mali coerceantur, & boni subleuentur. c. militare, & c. sequenti, 23. quæst. 1. quid ergò culpatur in bello, inquit D. Augustinus, an quia moriuntur quãdoq. morituri, vt dominentur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. c. quid culpatur, in princ. 23. quæst. 1. Et si aliter non meruit habere pacem domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod gerebat contra Patrem, fuisset extinctus; quamuis magna cura mandauerat suis, vt eum, quantum possent, viuum saluumq. seruarent; vt esset cui pœnitentia paternus affectus ignosceret, quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui Regni pace acquisita, sua mœstitia consolari? sic dicitur in c. quis enim nostrum, 23. quæst. 5. nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi in bellis iure culpantur. & ordo naturalis mortalium paci accõmodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas, atque consilium apud Principes sit. & nõ est bellandi po-

potestas, nisi à Deo, siuè iubente, siuè sinente. Et propterea etiam vir iustus, si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego, militet, rectè potest, illo iubente, bellare, si vice pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est; vel vtrum sit, certum non est, itavt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi, dicto c. quid culpatur. Et summa militiæ laus inter alia benemerita hæc est obedientiã Reipublicæ vtilitatibus exhibere; quodq. sibi vtiliter imperatum fuerit, obtemperare. c. summa militiæ, 23. quæst. 1. ideòq. miles, cum obediens potestati, sub qua legitimè constitutus est, hominem occidit; nulla Ciuitatis suæ lege reus est homicidij: immò nisi fecerit, reus est imperij deserti, atque contempti. quod si sua sponte, atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque vndè punitur si fecerit iniussus; indè punietur nisi fecerit iussus, c. miles, 23. quæst. 5. Nec existimandum est, eos Deo placere non posse, qui armis bellicis militant: in his enim erat sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. in his plurimi illius temporis iusti: in illis erat & ille Centurio, qui dixit Domino, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Pacem siquidem debet habere voluntas; bellum necessitas; itavt hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas, c. noli existimare, 23. quæst. 1. iussit Deus ad Iesum naue, vt constitueret sibi retrorsus insidias, idest insidiantes bellatores ad insidiandũ hostibus. vndè admonemur, hoc non iniustè fieri ab his, qui iustum bellum gerunt; vt nihil homo iustus

præ-

præcipuè cogitare debeat in his rebus, nisi vt iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est. Non enim omnibus fas est. Cum autem iustum bellum susceperit; vtrum aperta pugna, vtrum insidijs vincat nihil ad iustitiam interest, c. Dominus noster, 23. quæst. 2. & dolus contra hostem licitè fieri potest, c. vt pridem, & ibi glos. in verb. à dorso, 23. quæst. 8. & ideò nequaquam contra præceptum, Non occides, fecerunt, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm eius leges, hoc est iustißimę rationis imperium, sceleratos morte punierunt, c. si non licet, vers. & ideò nequaquam, 23. q. 5. Hinc ductor exercitus, aut populus ipse non magis censeri debet auctor belli, quàm minister Dei, apud quem non est iniquitas, & nouit quod cuiq. fieri debeat, d. c. Dominus noster, 23. quæst. 2. & vt dicit D. Hieronym. super Ioelem ad c. 2. & legitur in c. non solum, 23. quęst. 5. Non solum homines ministri sunt, & vltores iræ Dei in his, qui malum operantur, vndè non sine causa gladium portant: sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor, & ira Dei, dæmones scilicet. & D. Ambrosius de Cain, & Abel, lib. 2. cap. 4. vt refertur in c. remittuntur peccata, 23. q. 5. ait, puniuntur peccata etiam per populos: sicut legimus, quia sæpè ab alienigenis Dei iussu excitatis, propter diuinæ maiestatis offensam subactus est populus Iudæorum. Animaduertere tamen debet quisquis sit, qui bellum etiam iustum suscipit; vt diuino potius innitatur præsidio, quàm auxilio humanarum virium: aliàs res ex voto minimè succedit. legitur Isaię cap. 19. quod Ægyptus à Nabuchodonosor deuastata

est,

est, quia filijs Israel contra Asyrios, & Chaldæos protectionis, & defensionis auxilium promisit. & quod baculus arundineus est Rex Ægypti, super quem si aliquis innixus fuerit, confringetur, & perforabit manum innitentis, dicitur Ezech. cap. 29. & ipsi Iudæi captiui ducti sunt, quia opem suæ liberationis, non in solo Deo, sed in homine posuerunt, prout refertur in §. 1. 23. quæst. 3. Iustum autem est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa, c. 1. 23. quæst. 2. Iusta bella diffiniri solent, quæ vlciscuntur iniurias; si qua gens, vel Ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est: vel reddere, quod per iniurias ablatum est, c. 2. ead. 23. quæst. 2. Iusta erant bella, quæ gerebãtur à filijs Israel contra Amorrhęos: innoxius enim transitus denegabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. c. 3, eadem quæst. 2. Iustum est bellum contra Sarracenos, & alios, qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus, & proprijs sedibus pellunt. Cũ Iudæis verò, qui vbiq. seruire parati sunt, iustè non pugnatur, c. dispar nimirum, 23. quæst. 8. Contra infideles iustum non est bellum sola hac ratione, vt conuertantur ad fidem: cui enim vult Deus, miseretur; & quem vult, indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. sicut enim homo proprij arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic vocante se gratia Dei, propriæ mentis conuersione homo quisque credendo saluatur. Ergò non vi, sed liberi arbitrij facultate vt conuertantur, suadendi sunt, non potius impellendi. c. de Iudęis, 45. distinct. Ad fidem

nul-

nullus cogendus est inuitus. & boni mores non eliguntur, nisi libero arbitrio, c. ad fidem, 23. quæst. 5. quod si infideles occupant terras Christianorum; cõtra eos iustum est bellum pro recuperatione, vt de Sarracenis occupantibus partes Hispaniarum dixit Oldrad. cons. 72. & de Mapmethanis occupantibus terram Sanctam dixit Innocent. in cap. quod super nu. 7. de voto, & voti redemptione. Aduerte tamen, quia qui nati sunt in fide, cogi possunt inuiti ne recedant: sicut qui in puteo se deijciunt, vt ibi moriantur; inuiti debent extrahi, & liberari ne pereant: c. displicet, 23. quæst. 4. sic etiam, qui conuersi sunt ad fidem, inuiti constringi possunt, ne recedant: ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur. d. c. de Iudæis, in fin. 45. distinct. immò in bello iusto, licet Christianis vti auxilio infidelium, vt pluribus rationibus, & exemplis probat Oldrad. cons. 71. sic enim Paulus Apostolus ad sui defensionẽ prouocauit Pharisæos, & dixit se Pharisæum, Actuum Apost. c. 23. & petijt à Præside milites, quorum auxilio seruaretur illæsus, c. Maximinus, 23. quæst. 5. & Machabæi, qui fuerunt viri Sancti, & pugiles fidei, inierunt pactum cum Romanis; vt mutuò se iuuarent, & tamen Romani erant Pagani, ita legitur 1. Machab. cap. 8. & elegit Iudas Eupolemum filium Ioannis, filij Iacob, & Iasonem filium Eleazaris, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam, & societatem: & vt auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt, quod in seruitutem premerent Regnum Israel: & abierunt Romam viam multam valdè, & introierunt Curiam,

& dixerunt: Iudas Machabæus,& fratres eius,& populus Iudæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscũ societatem, & pacem: & conscribere nos socios, & amicos vestros. & placuit sermo in conspectu eorum. & hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, & miserunt in Hierusalẽ, vt esset apud eos memoriale pacis,& societatis. Benè sit Romanis,& Genti Iudæorum, in mari,& in terra in æternum: gladiusq. & hostis procul sit ab eis. Abraham pepigit fœdus cum Maner, Escol, & Mambre; qui non erant de lege sua: & secum duxit ad prælium contra Regem Sodomorum pro liberatione Loth eius fratris, Genesis c.14. Dauid non recusauit auxilium Achis Philistijm, vt ad Israelitas bellandi causa prodiret, 1. Reg.c.29. Quod autem damnatur 2. Paralipomenon c.19. Impio prębes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: intelligitur vbi bellum sit iniustum. Et si Iosaphat Rex Hierusalem fuit ibi per Prophetam reprehensus, quia voluit se iuuare cum Regibus Israel; ratio fuit, quia illi de Israel volebant eos de Iudæa, & Hierusalem inducere ad adorandum vitulos aureos, Oldrad. dicto cons. 71. Iustum est etiam bellum, quod geritur contra pyratas, contra latrunculos nauigantibus insidiantes, c. prætereà, 23. quæst. 8. Item quod geritur pro defensione tàm suã, quàm Patriæ, seù legum paternarum, c. si nulla, 23. q. 8. Alios quatuor casus, quibus iustum est bellum, notat Bald. in dicta l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur. num. 10. videlicet contra rebelles patriæ, l. minimè, ff. de relig. & sumpt. funer contra transfugas ad hostes, l. 3. §. transfugas, ff. ad l. Corneliam de sicar,

contra bannitos pro graui maleficio: nam hoc ipso, quod possint impunè occidi, indicitur eis bellum, & valet statutum suggerente ratione atrocitatis delicti, & contumacia, argumento l. 1. §. quod autem, ff. de aleæ lusu, & aleat. Item propter debitum pecuniarum non solutum potest indici bellum, quando Imperator, nec alius posset ciuiliter iusdicere: quod enim ciuiliter fieri non potest, licet facere de facto pro iure suo consequendo, l. ait Prætor, §. si debitorem, ff. quæ in fraud. creditor. Laudatur fortitudo, quæ in bello, vel tuetur à barbaris patriam; vel domi defendit infirmos; vel à latronibus socios; & dicitur plena iustitiæ, cap. fortitudo, 23. quæst. 3. & dicitur etiam vtilis. ex eo enim quod quis fortitudinem latronis, pyratæ, vel furis eneruat, eosq. infirmos reddit; prodest illis sua infirmitas: nam debilitata membra, quibus prius non benè vtebantur, à malo opere cessabunt, cap. si quis fortitudinem, 23. quæst. 3. Quando igitur bellum est iustum, non est retardandum; sed necessitate cogente, suscipi debet omni tempore, etiam quadragesimali: ne Deum videatur homo tentare, si habeat quid faciat; & suæ vel aliorum saluti consulere non procurat, dicto cap. si nulla, 23. q. 8. & qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit; nihil aliud est, quàm fauere eorum impietati: nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui facinori manifesto desinit obuiare, c. qui potest, & c. ostédit Propheta, 23. q. 3.

Mau. Si placet, referam quædam in contrarium.

Luc. Audiam, & satisfaciam, vt potero.

XVI. Refert in cõtrariũ Mau- *Mau.* Legitur Matthæi cap. 5. Si quis percusserit in vnam

vnam maxillam, præbe ei & alteram. & ei qui vult tecum iudicio contendere,& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicunque angariauerit te mille passus, vade cum illo & alia duo. & Apostol. ad Romanos cap. 12. præcipit, Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Ergò nos, qui sumus Christi sectatores, prohibemur repellere iniuriam propriæ personæ. Rursus legitur Matthæi cap. 26. dixisse Iesum Petro volenti gladio eum defendere. Conuerte gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt; an putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum. & legitur de Beato Andrea in ipsius martyrio, quod cum fieret concursus populorum, vt eum de manibus iniqui Iudicis eriperent, & ab iniuria mortis eum defenderent; ipse è contra,& exemplo,& verbo patientiam docens, rogabat eos, ne suum martyrium impedirent. Ergò docemur, nedum proprias, sed etiam sociorum iniurias patienter tolerare, nec ad arma concurrere. Pariter legitur Matthæi cap. 13. patremfamilias dixisse seruis colligentibus zizania, Sinite vtraque crescere vsque ad messem,& tunc dicam messoribus colligite zizaniam,& alligate in fasciculis ad comburendum. Ergò prohibemur, nedum propriam,& sociorum iniuriam propulsare, & vindicare; sed adstringimur delinquentium vindictam diuino examini reseruare, vt legitur 23. q. 1. in princ. & Sanctus Gregorius lib. 7. epist. ad Sabin. inquit de se ipso, si in

rus alias auctoritates,& arguit bellú non esse licitú, siuè ratione propriæ, siuè alienæ defensionis.

G 2 Lon-

Longobardorum morte me miſcere voluiſſem,hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa: ſed quia Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me miſcere formido, c. ſi in morte, 23.q.8. & S.Hieronymus in Leuit. admonet, ſi quis vult Pō-tifex eſſe,non tàm vocabulo,quàm meritis debet imitari Moyſen, qui indeſinenter in tabernaculo Dei erat, vt ab eo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret. & ſubiungit in hæc verba,eſt aliud opus, quod facit Moyſes, ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos; ſed quid facit? orat; & donec ille orat,vincit populus eius: ſi relaxauerit, & dimiſerit manus; populus eius vincitur, & fugatur. Oret ergò ſacerdos Eccleſiæ indeſinenter, vt vincat populus, qui ſub ipſo eſt, c. vlt. diſt. 36. D. Ambroſius docet, Chriſti milites non debere quærere pila ferrea, nec arma ſumere; ſed dolor, fletus, orationes, & lachrymæ debent eſſe eorum arma, & munimenta, vt refertur 23. q. 8. c. non pila.

XVII. Reſpondet Lucius ad oppoſita, & oſtēdit quādo bellū ſit iniuſtum, & vndè accidat quod populi bello deuincātur.

Luc. Vltio non eſt iniqua; ſed vitioſa eſt libido vlciſcendi. Patientia autem, humilitas, & manſuetudo, tendunt ad perfectionem Chriſtianam, iuxta ea,quæ docentur in c. ſex differentiæ, 23.q.3. monentur perſonę priuatæ,ne in vlciſcenda ſociorum iniuria ſe immiſceant: non autem prohibentur hi,qui in poteſtate conſtituti ſunt, quin ſibi, ſuiſq. illatas iniurias propulſent, vindicent, puniant. ideòq. dicitur in c. non in inferenda, 23. q. 3. quod non in inferenda, ſed depellenda iniuria, lex virtus eſt,qui enim non repellit iniuriā à ſocio, ſi poteſt, ideſt,vt ſupplet gloſ. ibidem

ſi

si est in potestate positus, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit. Is autem gladium tanquam Petrus accipere dicitur, qui nulla superiori, ac legitima potestate, vel iubente, vel concedente in sanguinem alicuius armatur, c. ille gladium, 23. q. 4. Si laudatur mansuetudo eius, qui iniuriã patitur, vt dicebas de sancto Andrea, non tamen probatur negligentia, seù permissio eius, qui facultatem habet obuiandi. Qui enim crimina, cum potest emendare, non corrigit, ipse committit. c. prætereà, 23. q. 8. Propheta Dauid, cum dixit, Erige egenum, & pauperem, ostendit nec illos immunes à scelere esse, qui permiserunt Christum Principibus interficere; cum præ multitudine timerentur, & possent illos à facto, & se à consensu liberare. Qui enim desinit obuiare cum potest, consentit. sunt verba D. Augustini super Psalm. 81. relata in c. ostendit Propheta, 23. q. 3. Monentur quidem Christiani vindictam diuino examini reseruare; sed non prohibentur Reges, & potestatem habentes iniurias repellere, & crimina punire, quippè qui in vindicandis malis sunt Dei ministri: quicunque enim percutit malos in eo quòd mali sunt, & habet causam interfectionis, minister Dei est. qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, & adulterum, periurũ, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut truncauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur: & tantò acrius, quantò nõ sibi à Deo concessam potestatem abusiuè vsurpare non timuit, dicit D. Augustinus in lib. de Ciuitate Dei, & refertur in c. penult. 23. q. 8. Zizanium, quod vulgò dicitur lolium, eradicari non potest, antequam creuerit; nam

antè à tritico, vel hordeo non benè dignoſcitur, propter eius effigiem hordeo ſimilé. ideò dicitur in Parabola Euãgelica, Sinite vtraq. creſcere, ne fortè cum vultis eradicare zizania, eradicetis ſimul cum ipſis etiam triticum, vt refertur in c. nolite recedere à Domino, 11. q. 3. vbi gloſ. in verb. de zizanijs, exponit, ideſt, de occultis peccatoribus; improbatur enim illorum arrogantia, qui de occultis volunt iudicare; cum nõ ſint vindicãda delicta, niſi quę nota ſunt, & probata, iuxta ea, quę habẽtur in c. quãtus arrogantię tumor, iũcta gloſ. in verb. zizania, 23. q. 4. Dicta per S. Gregoriũ, quæ referebas, non negant Pontificis poteſtatem, ſed voluntaté. immò de eodem S. Gregorio legitur in c. vt pridem, 23. q. 8. quòd ipſe miſit milites in ſuccurſu bellantium, eosq. non ſolum ad bellum; ſed etiam vt hoſtes dolo vincerent fuit cohortatus, vt ibi gloſ. ſubiungit in verb. à dorſo. prout etiam hortatus fuit Mauritium, & Vitalianum, vt hoſtium loca deprędarentur, quatenus ſcilicet Dominus eos adiuuerit, cap. ſuppliciter, 23. q. 8. & deindè Hadrianus Papa rogauit Carolum Magnum, vt ſuſciperet bellum contra Longobardos, quod prius à patre eius Pipino, Stephano Papa ſupplicante, cum magna difficultate ſuſceptum fuerat, c. hortatu, 23. q. 8. Si Moyſes orabat pro populo, vt vinceret, duxit etiam exercitum, & inimicos profligauit: is enim cum vidiſſet Hebræum ab Ægypto iniuriam accipientem defendit; ita vt Ægyptum proſterneret, atque in arena abſconderet, c. non inferenda, 23. q. 3. Epiſcopi per Principes ſæculares non debent in militaribus negocijs occupari; militũ enim Chriſti eſt Chriſto ſeruire; militum verò ſæculi

ſæ-

ſæculo, ſecundùm quod ſcriptum eſt, nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſæcularibus: quod ſi ſæculi milites, ſæculari militiæ ſtudent, nihil ad Epiſcopos, & milites Chriſti pertinet, niſi vt vacent orationibus, c. reprehenſibile; 23. q. 8. Dicit Bald. in conſ. 439. num. 2. lib. 5. duplicem eſſe rationem, quare Clericis bellare non liceat; Prima, quia ars bellica, & bellorũ ſtrepitus retrahit Clericos à laude Dei, oratione, & diuinis officijs. Secunda propter effuſionem ſanguinis, quia exemplo Chriſti debent potius pati ſuum ſanguinem effundi, quàm effundere alienum. & pro hoc eſt inſtitutum, vt effundentes ſanguinem ſint irregulares. In lib. 1. Paralip. cap. 12. dixit Dauid Salomoni, factus eſt ſermo Domini ad me dicens, Multum ſanguinem effudiſti; & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me. Idem Dauid Pſal. 50. rogauit Deum dicens: Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiã tuam. Nõ enim poteſt homicida prædicare iuſtitiam aperta fronte. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum per os tuum, Pſal. 49. Benè verum eſt, vt ibidem ſubiungit Bald. quòd Papa poteſt indicere iuſtum bellum; ſed non poteſt Clericis concedere, quòd ipſi manu propria poſsint hominẽ occidere: ſed pro iuſtitia exequenda, poſſunt gladij poteſtatem laicis committere. Item Papa poteſt committere Clericis, quòd in bello iuſto dent auxilium, & conſilium tàm gentium, quàm pecuniarum; & propterea dicitur, quòd bellum eſt iniuſtum quinque modis, vt per gloſ. 23. q. 2. §. 1. in verſ. quod autẽ;

Primo, ratione personæ, vt si fuerint personæ Ecclesiasticæ, quibus non est licitum fundere sanguinem. Secundo, ratione rei, si non est de repetendis rebus, seù pro defensione patriæ. Tertio, ratione causæ, vt si non est propter necessitatem, & propter pacem acquirendam. Quarto, ratione animi, vt si animo vlciscendi, & per prædam, & cupiditatem. Quinto, ratione potestatis, si non est indictum cum auctoritate principis. quæ omnia repetit Bald. d. cons. 439. vbi in fine subiungit necesse esse, vt in hoc sæculo sint bella, & bellorum strages, & infinitæ passiones; quia vt ait D. Augustinus de Ciuitate Dei, quamdiù vitijs imperatur, plena pax nō est. Sed Archidiaconus in c. noli, 23. q. 1. nu. 2. pleniùs notat, sex esse causas, quare inter homines non est pax. Prima, quando non puniuntur maleficia. Secunda, quando est nimia abundantia temporalium. Tertia, quando non occupamur in pugna contra dæmonem. Quarta, quando non considerantur damna guerræ. Quinta, quando non consideratur, quòd dubius est euentus belli. Sexta, quando non seruatur mandata Dei. Vndè autem eueniat, vt aliquis populus deuincatur, plures afferri possunt rationes; sed sufficiat ea, quam Gregorius Martyr obiecit Regi Anglorum, vt in c. si quis Anglorum, 56. distinct. quando scilicet populus supramodum lasciuire, & fornicari cōsueuerit; nam de tali commistione meretricum, æstimandum est degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos; & ad extremū vniuersam plebem ad deteriora, & ignobiliora vergentem, nec in bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo

ama-

amabilem esse venturum. Qua etiam ratione deplorat Hispaniæ, & Burgundiæ gentes deuictas fuisse à Sarracenis; quæ gentes, vt ait, sic à Deo recedentes fornicatæ sunt, donec Iudex omnipotens, talium criminum vlciscens pęnas per ignorantes legem Dei, idest per Sarracenos venire, & sęuire permisit.

Mau. Relatas auctoritates, relata Patrum dicta, non sine curiositate audiui; cum materia sit frequens hac tempestate.

Luc. Concludamus igitur bellum esse quid bonum propter finem; quia finis belli est pax, quæ optima res est. neque enim pax quęritur, vt bellum excitetur; sed bellum geritur, vt pax acquiratur. c. noli, 23. q. 1. & ideò sicut infirmus excitato animo medicinam sumit propter salutis spem; ita & homines æquo animo bella ferre debent propter spem pacis. & hyemis asperitatem, non parum minuit spes futuri veris. XVIII. Concludit Bellum esse quid bonum propter finem.

Mau. Postquam bellum medicinæ comparasti, dic si aliqua dulcedine aspersa sumatur talis medicina.

Luc. Ex parte Principum, necessitas indicendi bellū, & prouocandi hostē, tollit aliquid crudelitatis, & amaritudinis belli; cum enim nullum bellum sit licitum, nisi præcedat diffidatio, vt ait Io. Andr. in c. pro humano, de homicid. lib. 6. Ias. in d. l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur. nu. 30. vtraq. pars propter belli indictionem potest sibi præcauere, & optimè deliberare, an velit cedere, vel contendere. Qua ratione omne bellū publicè indictum censetur ex consuetudine saltem, iustum, Castellion. cons. 12. in facto proponitur, nu. 6. & quando fuit acceptatum, etiā si sit iniustum, is, qui indicit, non tenetur ad restitutionem, Angel. de Perusio

rusio cons. 367. nu. 8. vers. nunc descendo. Sed bona in bello quæsita fiunt capientium, vt dicit Innoc. in c. sicut il 2. nu. 5. de iure iur. Principes non recognoscentes superiorem possunt inter se indicere bellum; quia sic non est per quem consequi possint iustitiam. & illi, qui subiecti sunt Imperatori, si se constituunt hostes Imperij, possunt indicere bellum Imperatori, & quæ occupãt sua sunt. Sed si quis habet superiorem, non potest bellum alteri indicere, sine sui superioris auctoritate. & si ille, cui indicitur, superiorem recognoscit, tunc ille superior primò requirendus est, vt faciat iustitiam; ita concludit Oldrad. cons. 70. Ex parte verò militum, gloria, quam quisque appetit, & quæ corporis animiq. fortitudine in Castris acquiri solet, mitiora reddit bellorum incommoda: vt enim dicit Ouid. lib. 5. Tristium Eleg. 12.

Deniq. non paruas animo dat gloria vires:
Et facunda facit pectora laudis amor.

Et lib. 4. de Ponto ad Seuerum Eleg. 2.

Crescit. & immensum gloria calcar habet.

Man. Vereor, ne auaritia potiùs commoueantur milites, quã gloriæ cupiditate; vt enim dicit Lucan. lib. 10. belli Ciuil.

Nulla fides, pietasq. viris, qui Castra sequuntur,
Venalesq. manus, ibi fas, vbi maxima merces.

XIX. Ostendit quod solatium remaneat victis, & captis in bello.

Luc. Referenda puto hæc verba ad primum furorem exercitus vincentis; vt enim ait Seneca in Troade.

Victor feroces impetus primos habet.

De qua re nõ est, vt doleat pars victa, quandoquidem victis conuenit multa pati, & vt dixit Virgil. lib. 2. Æneid.

Vna

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Cum Romani Gallorum exercitu, Breno ductore, opprimerentur, vt narrat Plutarchus, Sulpitius Romanorum ductor, conuenit cum Breno, vt à Romanis finibus Gallorum exercitum abduceret; promisitq. Romanos ponderaturos, soluturosvè mille libras auri: quas cum Galli recepissent, & ex agris discederent; iuramenti præstiti, pactæq. fidei immemores, ab oppressione, & damnis minimè desistebant. De qua re, cum Romani se indignatos ostenderent, ipse Brenus irrisionis causa, ensem vna cum cingulo, & auro, lancibus appositum extulit. Cum autem Sulpitius quæreret, quid hoc esset, respondit Brenus, quid aliud nisi victis dolor? Accidit tamen posteà, vt refert Festus, quòd Camillus eundem Brenum insidijs circumuenit, & profligauit; & Breno conquerenti id fieri contra initum fœdus, respondit Camillus, veh victis? retorquens Breni sententiam in Brenum. Cæterum dolor, seù desperatio non omnem locum occupat; sed & spei, & solatio aliquis locus est: quia, vt sciunt omnes, hosti fides est seruanda, & sicut rebellanti, & resistenti violentia redditur; ita victo vel capto misericordia debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur, c. noli, in fin. 23. q. 1. & dicit Stat. lib. 8. Thebaid. ---------------- *si decidit hostis.*

Ire super satis est, vitamq. relinquere victo.

Postquam ius gentium introduxit bella ad puniendos hostes, & vt pax haberetur: quia ex bello sequebantur captiuitates, necessariò introduxit etiam seruitutes, ne scilicet capti occiderentur; sed seruarentur: serui tamen remanerent, ne omninò dimitterentur impunes,

vndè

vndè serui dicti sunt à seruando, §. serui, instit. de iure personarum, quos antiquitus spes libertatis acquirendæ, & manumissionis consequendæ confouebat, l. manumissiones, ff. de iust. & iur. Hodie verò, cum inter fideles sublata sit seruitus, hostes detinentur captiui, quos spes futuræ liberationis, redemptionisvè confouet, iuxta dictum Ouid. lib. 1. de Ponto ad Græc. Eleg. 6.

Carcere dicuntur clausi sperare salutem.

Man. Tantorum autem cædes in prælijs, tantorumq. locorum deuastationes minimè ferri possunt æquo animo.

XX. Affert rationé quare tot tãtorũq. hominũ cædes, & locorũ deuastationes quæ bello proueniunt æquo animo sint ferendæ.

Luc. Mors cuiusq. non contingit sine diuino iudicio: vita enim, & mors in manu Dei est. Corruunt aliquãdo montes; loca immerguntur aquis; fulmina cadũt à cælo; succedunt incendia; inficitur aer; pestis exoritur; euenit sterilitas; accidit penuria rerum, quæ ad victum sunt necessariæ: conteruntur homines ruina; pereunt naufragio; incendio consumuntur; obeũt morbo; necantur fame; & tamen isti casus, tanquam fortuiti, æquo feruntur animo: & nulla emergit indè vtilitas. At si multi publico trucidantur certamine, tunc aut vnius, aut partis vtriusque pugnantis, diminutis viribus necessariò sequitur vel pax, quæ est finis discordiæ, & perpetua, ac inuiolabilis concordia: vel saltem initur treuga, quæ est securitas præstita personis, & rebus, guerra nondum finita; & est tempus medium inter guerram, & pacem. Guerram autem connumerari inter casus fortuitos, probat Bald. super feud. tit. de pace constantiæ, §. Vassalli, nu. 1. Sed vt hanc rem concludam, negari quidẽ non potest quin

ex

ex bello multa mala oriantur; sed consequentia necessaria tantorum malorum, etiã aliquid boni affert: nam ea non rarò Principes commouet, vt si quas controuersias habeant, eas potius iure medio, quàm armis studeant definire.

Mau. Satisfecisti plenè dubitationibus meis de lege, de potestate, de meo, & tuo, & de bello. At quoniam non quiescit agricola, nisi etiam extirpatis graminibus, euulsisq. herbarum radicibus, semen addat, spargat quædam modica grana, quibus terra suo tempore valeat copiosam messem producere: existimo tuæ diligentiæ, tuæ erga me beneuolentię conuenire, vt post sublatas, euulsasq. præfatas dubitationes, quædam notabilia de eisdem materijs compendiosè referas, quibus faciliora reddantur mea studia, & ad maiorem fructum producendum efficiantur aptiora.

Luc. Lapsa est dies.

Mau. Veniet altera.

Luc. Sed quid agendum erit de alijs dubitationibus propositis circa contractus, successiones, iudicia, & pœnas?

Mau. Quod vna die non poterimus, reijciemus in aliam.

Luc. Et tempori, & tuæ voluntati inseruiam libentissimè, sed ab agricola egeno, seminis quam modicum expecta.

Mau. Veniam lætus: Vale.



QVAR-

QVARTVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Mau. SI tibi placet, ò Luci, hodie præstare quod petij, audiam sine contradictione. Parebo sapientibus illis, qui dixerunt, Oportet discentẽ credere.

Luc. Petijsti, vt notarem quædam alia de lege, de potestate, de meo & tuo, & de bello. pauca pollicitus sum, & promissis non deficiam.

Mau. Dixisti quædam de lege, & exordium ab alto sumpsisti.

Luc. A capite exorsus fui, à lege æterna, primæuo legum omnium fonte.

I. De lege æterna, & quam antiquiores, & quam postea de ea cognitionẽ habuerunt.

Mau. Conspexerunt nè antiquiores hunc fontem? deduxerunt nè legumlatores omnes ab hac primæua lege earum leges?

Luc. Qui populis, & vrbibus primi leges dederũt, eas à Dijs accepisse profitebantur, & vt refert Valer. Max. lib. 1. cap. 13. Minos Cretensium Rex nono quoquo anno in quoddam prçaltum, & vetusta religione consecratum specus secedere solebat: & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat. Lycurgus consilio Apollinis grauissimæ Lacedemoniorum ciuitati leges compositas ferre se persuasit. Zaleucus sub nomine Mineruę apud Locrenses prudentissimus Legislator habitus est. Numa Pompilius, vt Populum Romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum Dea Ægeria congressus esse nocturnos: eiusq. monitu, se, quæ accepta Dijs im-

immortalibus sacra forent, instituere.

Mau. Legislatores illi hæc fortè dicebant ad ostentationem. ad seducendos populos.

Luc. Non assentior. Vtiles erāt eorum leges ad componendas ciuitates, ad vnitatem ciuium conseruandam, ad tuendum bona cuiusque. Nullus erat dolus in illis ferendis. testis sit mihi Cic. qui lib. 2. de legibus ait, Legislatores non studij, & delectationis, sed Reipublicæ causa leges Ciuitatibus suis scripsisse.

Mau. Ergò nè verum legum fontem illi cognouerūt?

Luc. Circumspexerunt quidem, sed perfectam assequuti non fuerunt cognitionem.

Mau. Quid illis accidit?

Luc. Idem, quod illis, qui nocte surgentes, cœca luce res aspiciunt, non ortò Sole. Quæcunque sanciebant, velut apertis oculis, se natura dictante, sancire cognoscebant. At vndè moueretur natura, non intelligebāt. argumentabātur à superiori numine moueri; & quasi cęcutientes, à cælestibus numinibus leges latas asseuerabant. Testis est Plato, qui de leg. dial. 1. in princ. ait, Non aliquem hominem, sed Deum tradendarum legum causam decet asserere. & vt ipse prosequitur, & ibidem etiam notat Marsil. Ficinus in suo Commēto, cognoscebant antiquiores, in legibus ferendis necessariam esse potestatem, clementiam, & sapientiam. quæ cum intelligerent non esse humanæ facultatis, referebant leges latas in tria numina, Apollinem, scilicet, ratione potestatis, Iouem rationem clementiæ, & Mineruam ratione sapientiæ. Properabat Cicero ad hunc fontem, qui in lib. 2. de legib. ita differit. Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legē

neque

neque hominum ingenijs excogitatã,nec ſcitum aliquẽ eſſe populorum:ſed ęternum quiddam,quod vniuerſum mundum regeret, imperandi prohibendiq. ſapientia. ita principem legem illam,& vltimam,mẽtem eſſe dicebant,omnia ratione aut cogentis,aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dij humano generi dederunt, rectè eſt laudata. & inferiùs ſubiungit. ſic intelligi oportet, iuſſa ac vetita populorum, vim non habere ad rectè facta vocandi,& à peccatis auocandi: quæ vis non modo ſenior eſt,quàm ætas populorum, & ciuitatum, ſed æqualis illius cælum, atque terras tuentis, & regentis Dei. neque enim eſſe mens diuina ſine ratione poteſt: nec ratio diuina, nõ hanc vim in rectis prauisq.ſanciendis habet. & inferiùs concludit. tunc nõ incipit lex eſſe,cum ſcripta eſt, ſed tunc cum orta eſt. orta eſt autem ſimul cum mente diuina. quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis.

Mau. Orta autem luce, quo medio,quo diſcurſu peruenerunt homines ad verum legum fontem?

Luc. Angelic. Doct. 1. 2. quæſt.91. art.1. in reſponſ. ita ratiocinatur. Lex nihil aliud eſt,quàm dictamen practicæ rationis in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. manifeſtum eſt autem, ſuppoſito quod mundus diuina prouidentia regatur, quod tota communitas vniuerſi gubernatur ratione diuina. & ideò ipſa ratio gubernationis rerũ in Deo, ſicut in Principe vniuerſitatis exiſtens, legis habet rationem. & quia diuina ratio nihil concipit ex tempore, ſed habet æternum conceptum, indè eſt, quod huiuſmodi legem oportet dicere æternam. & q. 93.

art. 1.

art. 1. in respons. addit, quòd sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ constituuntur per artem: ita etiam in quolibet gubernante oportet, quòd præexistat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subdūtur. & sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars, vel exemplar rerum artificiatarum; ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem legis obtinet. Deus autem per suam sapientiam conditor est vniuersarum rerum, ad quas comparatur, sicut artifex ad artificiata. Est etiam gubernator omnium actuum, & motionum, quæ inueniuntur in singulis creaturis. vndè sicut ratio diuinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel ideæ: ita ratio diuinæ sapientiæ mouentis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. & secundum hoc lex æterna nihil aliud est, quam ratio diuinæ sapientiæ, secūdùm quod est directiua omnium actuum, & motionum. & in eadem q. 93. art. 2. in respons. volens ostendere an, & quomodo hæc lex æterna omnibus sit nota, distinguit, quòd dupliciter aliquid cognosci potest. vno modo in se ipso, alio modo in suo effectu, in quo aliqua similitudo eius inuenitur. sicut aliquis nō videns Solem in sua substantia, cognoscit ipsum in sua irradiatione. & concludit, quòd legem æternam nullus potest cognoscere, secundùm quod in se ipsa est, nisi solus Deus, & Beati, qui Deum per essentiam vident. sed omnis creatura rationalis ipsam cognoscit secundùm aliquam eius irradiationem, vel maiorem vel minorem: Omnis enim cognitio veritatis est quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ

H est

est veritas incommutabilis. veritatem autem omnes aliqualiter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis; in alijs verò quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis: & secundùm hoc etiam plus vel minus cognoscunt legem æternam. & eadē q.3.art.93. in respons. declarat quomodo omnis lex ab æterna deriuetur, & ait, quod lex importat rationem quandam directiuā actuum ad finem. in omnibus autem mouentibus ordinatis, oportet, quòd virtus secundi mouentis deriuetur à virtute mouentis primi; quia mouens secundum non mouet, nisi in quantum mouetur à primo. vndè in omnibus gubernantibus idem videmus, quod ratio gubernationis à primo gubernante ad secundū deriuatur: sicut ratio eorum, quæ sunt agenda in ciuitate deriuatur à Rege per præceptum in inferiores administratores, & in artificialibus etiam ratio artificialium actuum deriuatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. Cum ergò, subiungit ipse, lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quòd omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriuentur. Huiusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcunque aliæ leges præter æternam: vndè omnes leges in quātum participant de ratione recta, in tantum deriuantur à lege æterna.

II. A lege æterna an aliæ leges insimul, an verò certo ordine, vna post aliā emanauerint

Mau. Verè sunt angelicæ Doctoris Angelici ratiocinationes. modò vellem intelligere, an omnes leges insimul, an verò certo ordine, & tempore distincto ab eodem legum omnium fonte emanauerint.

Luc.

Luc. Vnà cum glossa,& Doctoribus in c. 1.de summa Trinitate,& fide Cath. distinguemus tria tempora. Primum ab Adam vsque ad Moysen, quam vocant primam ætatem, seù tempus antè legem. Secundum à Moyse vsque ad Saluatorem nostrum,quam dicunt secundam ætatem, seù tempus sub lege. Postremum à tempore nostræ redemptionis vsque ad præsens, quam tertiam,& vltimam ætatem appellant,seù tempus gratiæ.

Mau. Primo tempore vna, vel plures leges insimul emanauerunt?

Luc. Sola lege naturali primo tempore omnes vixerunt, glos. in d. c. 1. in verb. ordinatissimam, & ibidem Io. Andr. Abb. & alij.

Mau. Quomodo prouenit hæc lex naturalis ab æterna? III.

Lex naturalis quomodo proueniat à lege æterna, & quid dictet, & cur sola nō sufficiat.

Luc. Dixit D.Thom. 1.2.q.93.art.5.in respons.quòd sicut homo imprimit denunciando quodam interius principium actuum homini sibi subiecto; ita etiam Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum. & ideò per hunc modum Deus dicitur præcipere toti naturę, secundùm illud Psalmi 148. Præceptum posuit, & non præteribit. & per hanc etiam rationem omnes motus, & actiones totius naturæ legi æternæ subduntur.

Mau. Ergò natura dum præcipit,& inclinat naturaliter homines ad aliquid, dicitur legem ferre, iuxta præcepta à Deo impressa?

Luc. Ita est. & homines ab initio cum essent pauci primo illo tempore præceptis naturæ parebant, viuebant secundùm naturalem inclinationem.

Mau. Si vna est natura, est nè vna lex naturalis, an verò sunt plures?

Luc. Licèt natura sit vna, tamen quia primò mouet partem sensitiuam hominis; secundò partem rationalem; tertiò, & vltimò discursum siuè ratiocinationem: ideò dicunt nostri Doctores, triplicem esse legem naturalem; communem, scilicet rationis, & gentium. illa igitur lex, illa vis, qua per naturam mouetur, & instruitur pars sensitiua, quam homo communem habet cum cæteris animantibus, dicitur lex naturalis communis. & quia homo prius cognoscit, quæ subiacent sensui, & primi homines viuebant, & gubernabantur solo naturali instinctu; ideò hæc lex naturalis communis alio etiã nomine dicitur ius naturale primæuum. Altera lex, quę ordinat partem rationalem, quam homo habet omninò propriam, appellatur lex naturalis rationis. sed quia posterior est cognitio eorum, quę rationi subiacent; idcircò appellatur etiam ius naturale secundarium. & quia gentes tanquam ab alijs animantibus specie differentes, primò vsę fuerunt hoc iure; ideò dicitur ius gentium primæuum. Vltima lex naturæ, quæ ordinat mentem, & discursum hominis dicitur lex naturalis gentium, quia eam gentes ex primis principijs iuris naturalis, discursu mentis, adhibitisq. argumentis, & experientia mediante, pro necessitatibus & vsu vitę humanæ deduxerunt, & constituerunt. vndè appellatur etiam lex ratiocinationis. & quia gentes secundo loco hoc vsę fuerunt; ideò dicitur ius gentium secundarium.

Mau. Quæ dicemus esse præcepta istarum legum?

Lin. Docet Diuus Thomas eadem 1. 2. q. 94. art. 2. in respons. circa med. hoc esse primum præceptum legis naturæ, quod bonum est faciendum & prosequendum; & malum vitandum: & super hoc dicit fundari omnia alia præcepta legis naturę, vt scilicet omnia illa facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana, deindè ita argumentatur, quia bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarij: indè est, quòd omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit, vt bona; & per consequens, vt opere prosequenda, & contraria eorum vt mala, & vitanda. Secundùm igitur ordinem inclinationum naturaliũ est ordo pręceptorum legis naturæ, & successiuè distinguendo naturæ præcepta, prosequitur dicens, inest primò inclinatio homini ad bonum secundùm naturam, in qua communicat cum omnibus substantijs, prout scilicet quælibet substantia appetit cõseruationem sui esse secundùm suam naturam. & secundùm hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conseruatur, & contrarium impeditur. Secundò, inquit ipse, inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundùm naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus: & secũdùm hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, vt est commistio maris, & fœminæ, & educatio liberorum, & similia. Tertiò modo inest homini inclinatio ad bonum secundùm naturam rationis, quæ est sibi propria: sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod verita-

tem cognoſcat de Deo, & ad hoc quod in ſocietate viuat: & ſecundum hoc ad legem naturalem pertinet ea, quæ ad huiuſmodi inclinationem ſpectant, vtpotè quòd homo ignorantiam vitet, quòd alios non offendat, cum quibus debet conuerſari, & cætera huiuſmodi, quæ ad hoc ſpectant.

Mau. Primum igitur præceptum legis naturalis eſt, vt homo faciat bonum, & vitet malum.

Luc. Ita eſt. & bonum naturale eſt, quod pertinet ad vitæ, & generis humani conſeruationem. Ad vitam autem, & genus humanum conſeruandum ſpecialiter bonum eſt coniunctio maris cum fœmina, & liberorum educatio. Aliud eſt etiam ſpeciale bonum naturale, quod pertinet ad conſeruationem humanę ſocietatis. Ad humanam autem ſocietatem conſeruandam hoc ſpecialiter bonum eſt, vt nemo alium offendat, & quiſque alteri faciat quod ſibi vult, & Deum cognoſcat, & colat.

Mau. At quoniam tres leges naturales diſtinxiſti, videlicet communem, rationis, & gentium. quid vnaquęque dictet libenter intelligerem.

Luc. Quæ omnibus animantibus dictat lex naturalis communis ſunt hæc, maris atque fœminę coniunctio, liberorum procreatio, & educatio, l. 1. §. ius naturale, ff. de iuſtit. & iur. obligatio antidotalis, quæ eſt, vt benefacienti benefaciamus, reuerentiam, & ſeruitia pręſtemus; cuius iuris peritia nedum homines, verùm etiam bruta cenſentur, Iaſ. poſt alios in l. ex hoc iure, ff. de iuſtit. & iur. nu. 52. & nu. 53. & ſeq. enumerat decem, & octo effectus huius obligationis antidotalis. Quæ verò dictat lex naturalis rationis ſunt hæc, religio

gio erga Deum, obedientia erga parentes, & patriam, l. veluti, ff. de iust. & iur. Sui ipsius defensio, l. vt vim, ff. eodem. Omnium vna libertas, l. manumissiones, ff. eod. de iust. & iur. Communis omnium possessio, & acquisitio eorum, quæ in cælo, in terra, mariq. capiuntur, depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio, c. ius naturale, 1. distinct. §. feræ, instit. de rer. diuis. & quod tibi non vis, alteri ne feceris, & è conuerso, quod tibi vis, alteri feceris, 1. dist. §. 1.

Quæ autem dictat lex naturalis ratiocinationis, seu gentium sunt hæc, bella, captiuitates, seruitutes, manumissiones, postliminia, c. ius gentium, 1. distinct. discretæ gentes, Regna condita, dominia distincta, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes, l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur. pacta, & conuentiones, l. iurisgentium, ff. de pactis. Quæ facilè intelliges per gentes deducta fuisse ex præceptis naturæ, considerando qualiter bella respiciunt defensionem. seruitutes verò, & manumissiones respiciunt obligationem antidotalem, benefacienti benefacere. & distinctiones rerum, contractus, & obligationes respiciunt aliud præceptum naturæ, quod tibi vis alteri facias, & quod tibi non vis alteri non facias.

Mau. Hæc satis intellexi. Si igitur primo tempore sufficiebat lex naturæ, cur alijs temporibus necessariæ fuerunt aliæ leges?

Luc. Vtique sufficeret sola lex naturalis, si homines sola ratione duci vellent, & regi. nec opus esset alterius legis ministerio, quod consistit in hoc, vt quisque malè facere prohibeatur, Felin. in proœm. decretal.

Rex pacificus, vt enim ait Cic. lib. 1. de leg. Lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi. sed quoniam existente morbo sunt necessaria remedia; ideò postquam vitia eruperunt, & succreuerunt mali mores, necessariæ fuerunt alię leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq. sit inter improbos innocētia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas, c. 1. 4. dist. & vt ait Cic. eod. lib. 1. de legib. profectò ita res se habet, vt, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemq. virtutum, ab ea viuendi doctrina ducatur.

Mau. Est nè vna lex naturæ apud omnes? intelligunt ne ęquè omnes quæcunque natura dictat?

Luc. Cur ista quęris?

Mau. Quia dicebas homines nolle ratione duci. Si enim lex naturæ est eadē apud omnes, si omnes æquè intelligunt, quæ natura docet; necesse est dicere, omnes velle, quod bonum est, & nolle quod malum est, in quo consistit primum naturæ præceptum. ergò nullus erit, qui nolit ratione duci.

Luc. Docet S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4. in respons. post medium, quòd lex naturæ quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, & secundùm rectitudinem, & secundùm notitiam. sed quantum ad quædam propria, quę sunt quasi cōclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes etiam vt in pluribus, & secundùm rectitudinem, & secundùm notitiam. sed vt in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem, propter aliqua particularia impedimenta, sicut etiam naturę generabiles, & corruptibiles deficiunt vt in paucioribus propter im-

impedimenta,& etiam quantum ad notitiam: & hoc, propter hoc quod aliqui habent deprauatam rationẽ ex passione, seù ex mala consuetudine, seù ex mala habitudine naturæ: sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum(cum tamen sit expresè contra legem naturæ) vt refert Iulius Cæsar in lib. 6. de bell. Gall. parum à medio.

Mau. Ergò sciunt omnes, quòd secundùm rationem agendum est: sed an hoc, vel illud agatur secundum rationem, non omnes æquè intelligunt.

Luc. Ita docet S. Thom. in loco præallegato quæst. 94. art. 4. in respons. circà princip. dum ait, quòd ad rationem pertinet ex communibus ad propria procedere, secundùm Philosophum, 1. physicorũ. aliter tamen circa hoc se habet ratio speculatiua, & aliter ratio practica. quia enim ratio speculatiua præcipuè negociatur circa necessaria, quæ impossibile est aliter se habere: absque aliquo defectu inuenitur veritas in conclusionibus proprijs, sicut & in principijs communibus. sed ratio practica negociatur circa cõtingẽtia, in quibus sunt operationes humanæ: & ideò si in communibus sit aliqua necessitas, quantò magis ad propria descẽditur, tantò magis inuenitur defectus. sic igitur in speculatiuis est eadem veritas apud omnes, tàm in principijs, quàm in conclusionibus, licèt veritas non apud omnes cognoscatur in conclusionibus, sed solùm in principijs, quæ dicuntur communes conceptiones. in operatiuis autem non est eadem veritas, vel rectitudo practica apud omnes quantum ad propria: sed solùm quantum ad communia. & apud illos, apud quos est eadem rectitudo in proprijs, non est æqualiter omnibus nota.

Mau. Prima igitur principia iuris naturalis omnes aliqualiter cognoscunt; sed in alijs, quæ ex principijs sequuntur, quidam plus cognoscunt, & quidam minus. & hoc quia in aliquibus ratio deprauatur, vel ex passione, vel ex mala consuetudine, vel ex mala habitudine naturæ.

Luc. Ita ait D. Thom. 1. 2. q. 93. artic. 2. in respons. circa finem, & in superiori allegata q. 94. art. 4. sed modò audi quid dixerit Cicer. lib. 1. de leg. cum bonum, & malum natura iudicetur, & ea sint principia naturæ: certè honesta quoque & turpia simili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda sunt. sed perturbat nos opinionum varietas, hominumq. dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus: illa, quæ alijs sic, alijs secus, nec ijsdē semper vno modo videntur, ficta esse dicimus. quod est longè aliter. nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena deprauat, non multitudinis consensus abducit à vero: animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab ijs, qui teneros, & rudes cum acceperūt, inficiunt & flectunt, vt volunt: vel ab ea, quæ penitùs in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cuius blanditijs corrupti, quæ natura bona sūt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis.

Mau. Qui igitur boni sunt, & bonorum exemplo mouentur, & vera ratione ducuntur, nō errant in cognitione legis naturalis: sed illi dumtaxat, qui mali sunt, & trahuntur malorum exemplo, & voluptate decipiuntur.

Luc. Hoc idem concludit Cicero vbi supra dicens, omnes viri boni ipsam æquitatem,& ius ipsum amãt: nec est viri boni errare, & diligere, quod per se non est diligendum.

Mau. Error ergò in naturalibus præceptis cognoscẽdis prouenit non ex sensu, sed ex animi affectu, qui rationem inficit.

Luc. Ita est. vndè Boetius in Metro 7. lib. 1. admonet.

Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum
Tramite recto
Carpere callem
Gaudia pelle
Pelle timorem
Spemq. fugato
Nec dolor adsit
Nubila mens est
Vinctaq. frenis
Hæc vbi regnant.

Mau. Ergò homines primo tempore tandiù vixerunt sola lege naturali, quamdiù non cœpit humana societas tumultuare ob varias passiones animorum,quę humanam rationem deprauarunt.

Luc. Benè rem percepisti, sed audi etiam quod docet D.August.in 2.conf. lib.2.cap.4. in princ. Lex tua est in cordibus hominum, quam nec vlla quidem delet iniquitas. Sanè non loquitur de alia lege, quàm de naturali, quæ, vt ait D.Thom. 1. 2. q. 94. art. 6. scripta est in cordibus hominum, & deleri non potest.

Mau. Si ergò deleri nequit,quomodo passionibus animi inficitur.

Luc. Hoc explicat ibidem D.Thom. in respons. dum dicit, quòd ad legem naturalẽ pertinent primò quædam præcepta communissima,quę sunt omnibus nota: secundò pertinent quædam secundaria præcepta magis propria, quę sunt quasi cõclusiones propinquę prin-

principijs. quantum ergò ad illa principia cõmunia, lex naturalis nullo modo poteſt à cordibus hominum deleri in vniuerſali: deletur tamẽ in particulari operabili, ſecundùm quod ratio impeditur applicare cõmune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſsionem. quãtum verò ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo, quo in ſpeculatiuis errores cõtingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter prauas conſuetudines, & habitus corruptos. Et hæc etiam intelligunt noſtri Doctores, qui dicunt, quòd iura naturalia ſunt immutabilia in totum, §.ſed iura naturalia, Inſt.de iur.nat.gent.& ciu.ſed aliquando recipiunt interpretationem, diſtinctionem, ampliationem, & reſtrictionem, l. 2. §. his legibus, ff. de orig. iur. Innoc. in c. quæ in Eccleſiarum, de conſt. n. 4.

Mau. Tranſeamus ad ſecundum tempus.

IV. Lex Moſayca, & Prophetica, quę pręcepta contineant, & an etiam Gentiles obligarent.

Luc. In ſecũdo tempore à Moyſe vſque ad Saluatorẽ noſtrum tres viguerunt leges, Moſayca, Prophetica, & Ciuilis. Dedit Deus legẽ Iudęis per Moyſen, & Prophetas, c. 1. §. hæc ſancta, de Sum. Trin. & fid. Cath. Gentes verò ab eorũ Regibus leges ciuiles acceperũt: vt enim dicitur in c. 1. diſt. 7. Phoroneus Græcis, Mercurius Trimegiſtus Ægyptijs, Solon Athenienſibus, Licurgus Lacedemonijs, Numa Pompilius Romanis, primi omnium leges dederunt, quæ ciuiles appellantur, tanquam latæ pro ciuitatum, & ciuium regimine, §.ſed ius quidem ciuile, inſtit. de iur. nat. gen. & ciu.

Mau. Deus dedit legem Iudæis per Moyſen?

Luc. Sic legitur Exod. cap. 20. Locutus eſt Dominus

cun-

cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos corā me. cum his quæ sequuntur. Et infrà, Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemq. fumantem: & reliqua. Et Deuter. cap. 5. Vocauit Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum. Audi Israel cæremonias, atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. Non cum patribus nostris inijt pactum, sed nobiscum, qui in præsentiarum sumus, & viuimus. facie ad faciem loquutus est nobis in monte de medio ignis. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius. timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait: Ego Dominus Deus tuus, & reliqua. Scripta fuit hæc lex digito Dei in duabus tabulis, vt Exod. cap. 31. in fine, ibi: Deditq. Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei. & Deuteronomij cap. 5. ibi, Hæc verba loquutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens amplius: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. Sed posteà has tabulas Moyses fregit ad pedem montis, vt legitur Exod. c. 32. ibi, Cumq. appropinquasset ad castra vidit vitulum, & choros: iratusq valdè proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. & Deuteron. cap. 9. ibi, Cumq. de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis

vtraq.

vtraq. tenerem manu, vidiſſemq. vos peccaſſe Domino Deo veſtro, & feciſſe vobis vitulum conflatilem, ac deſeruiſſe velociter viam eius, quam vobis oſtéderat. proieci tabulas de manibus meis, confregiq. eas in conſpectu veſtro. Sed poſteà eidẽ Moyſi datæ ſunt aliæ duæ tabulæ, vt legitur Exod. cap. 34. ibi: Dixit Dominus ad Moyſen, ſcribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Iſrael pepigi fœdus. Fuit ergò ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba fœderis decem, &c. & Deuteronom. cap. 10. in princ. Dixit Dominus ad me. dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & aſcende ad me in montem: faciesq. arcam ligneam, & ſcribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas anteà confregiſti, ponesq. eas in arca. feci igitur arcam de lignis Setim, cumq. dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem, habens eas in manibus. ſcripſit in tabulis iuxta id, quod prius ſcripſerat, verba decem, quæ loquutus eſt Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus eſt, & dedit eas mihi. reuerſusq. de monte deſcẽdi, & poſui tabulas in arcam, quam feceram, quæ huc uſque ibi ſunt, ſicut præcepit mihi Dominus.

Mau. Dedit Deus Iudęis legem, etiam per Prophetas.

Luc. Vtique. In 1. Reg. cap. 12. in fine: Samuël dixit ad vniuerſum Iſrael docebo vos viam bonam, & rectam. igitur timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro. vidiſtis enim magnifica, quæ in vobis geſſerit. quod ſi perſeuerauerítis in malitia, & vos, & Rex veſter pariter peribitis. Et Iſaiæ

cap. 58.

cap. 58. in princ. Dixit Dominus Isaiæ: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo scelera eorum, & domus Iacob peccata eorum. & cap. 61. in princip. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis aperitionē. & Ierem. cap. 2. in princ. & factum est verbum Domini ad me dicens. Vade, & clama in auribus Hierusalem, dicens: Hæc dicit Dominus.

Mau. Quæ continebat hæc lex?

Luc. Lex Mosayca, & Prophetica, quæ testamentum vetus appellatur, tria præcepta continet, moralia scilicet, quæ ad mores; cæremonialia, quæ ad cultum Dei; & iudicialia, quæ ad statum quietum Reipublicæ attinent. Legitur Deuteron. cap. 6. in princ. hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quę mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam. Deprauati erant mores Hebræorum per concupiscentiam; corruptus erat apud eos diuinus cultus per idolatriam; tumultuabat eorum societas per superbiam. Quamobrem necessaria fuit lex, qua moralibus præceptis concupiscentiam refręnarent; cæremonialibus documentis verum Deum colerent: & iudicialibus statutis componeretur eorum societas. atque ita per legem, qui mali erāt cogerentur ad malum fugiendum, & qui boni erant magis excitarentur ad bonum, iuxta pręcepta legis naturę; cuius principia etsi omninò extingui non possint, possunt tamen caligine ignorantiæ, vel malitiæ ita obduci: vt circà

co-

eorum cõclusiones facillimum sit allucinari, & oberrare.

Mau. Hæc lex data fuit Hebræis, an verò etiam Gentilibus?

Luc. Iam dixi, Gentilibus datum fuisse ius ciuile per eorum Reges.

Mau. Ergo Gentilium mores, & natura, vel non fuit ita deprauata, vt Hebręorum: vel Gentiles à Deo fuerunt despecti, & destituti.

Luc. Neutrum verum est. inter gentes enim creuerat etiam malitia. idolatria, & superbia principia legis naturalis ferè obducta erát. necessaria fuit illis lex ciuilis. quæ etsi illis à Deo per Mosen, & Prophetas data non fuit, ferebatur tamen per Principes volente Deo, vt enim legitur Prouerb. c. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Quare autem Deus exhibuerit populo Hebræo legẽ, & alia beneficia, respondet, D. Thom. 1. 2. q. 98. art 4. in respons. circa med. propter promisionem eorum Patribus factam, vt ex eis Christus nasceretur. Decebat enim, vt ille populus, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret, secundùm illud, quod dicitur Leuit. 19. Sancti eritis, quia ego Sanctus sum. nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahæ, vt talis promissio ei fieret: vt scilicet Christus ex eius semine nasceretur: sed ex gratuita Dei electione, & vocatione, secũdùm illud Deuter. 4. Audistis verba illius de medio ignis, quia dilexit Patres, & elegit semen eorum post illos. Quare autem hunc populum Deus elegerit, & non alium, vt ex eo

Chri-

Christus nasceretur, subiungit idem Angelicus Doctor, non esse quærendum: quia ait D. August. super Ioan.tract.26. post princ.to.9. quare Deus hũc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.

Mau. Absit, vt erremus.

Luc. Non tamen Deus in lege veteri immemor fuit populi Gentilis: cum enim vocauit post aduentum Messiæ: legitur Genes.c.49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittẽdus est, & ipse erit expectator gentiũ. & Psal.21. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominũ vniuersi fines terræ: & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. & Psal.85. Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. & Oseæ c. 2. in fine, & dicam non populo meo: populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu.

Mau. Erant nè obligati Gentiles ad obseruantiam legis naturæ, dum eis per legem veterem, Deus non manifestauit vera præcepta naturæ, quæ nec omninò potuerunt alij legislatores, luce carentes, repræsentare?

Luc. Respondebo cum D. Thom. dicta q.98. artic.5. in respons. quòd lex vetus manifestabat præcepta legis naturæ, & superaddebat quædam præcepta propria. quantum igitur ad illa, quæ lex vetus continebat de lege naturæ, gentes etiam tenebantur ad obseruãtiam veteris legis; non quia erant de veteri lege, sed quia erant de lege naturæ: sed quantum ad illa, quæ

lex vetus superaddebat, non tenebantur aliqui ad obseruantiam veteris legis, nisi solus populus Iudæorum. cuius ratio est, vt subiungit idem Doct., quia lex vetus data est populo Iudæorum, vt quandam prærogatiuam sanctitatis obtineret, propter reuerentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat. quæcunque autem statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem, non obligant nisi illos: sicut ad quædam obligantur clerici, qui mancipantur diuino ministerio, ad quæ laici non obligantur. similiter & religiosi ad quædam perfectionis opera obligantur ex sua professione, ad quæ sæculares non obligantur; & similiter ad quædam specialia obligabatur populus ille, ad quæ alij populi non obligabantur. vndè dicitur Deuteronom. c. 18. Perfectus eris, & absque macula coram Domino Deo tuo. & propter hoc etiam quadam professione vtebantur, vt patet Deuteronom. c. 26. profiteor hodie coram Domino Deo tuo.

V. Lex Ciuilis quotuplex sit, & quæ præcepta cõtineat.

Mau. Quia igitur hoc secundo tempore gentes vixerunt iure ciuili, dicamus aliquid de eo.

Luc. Ius ciuile est duplex; Scriptum, & non scriptum. Scriptum vel emanat à populo non recognoscente superiorem, & dicitur lex, §. constat autem, vers. lex est, Instit. de iure nat. gent. & ciuil. vel emanat à Principe, & habet vim legis, ex quo in eum translata est omnis potestas, quæ erat penès populum, §. sed & quod Principi, Instit. eodem tit. de iur. nat. gent. & dicitur constitutio, seù edictum, si est generalis; si verò est particularis, dicitur rescriptum, l. 2. & 3. C. de legib. vbi etiam traduntur signa, quibus cognosci possit, an

lex

lex Principis sit generalis, vel particularis. & si emanat à populo, seù Vniuersitate superiorẽ recognoscente, dicitur statutum, seù ius municipale, iuxta tradita per Doct. in l. omnes populi, ff. de iustit. & iur. si emanat à plebe, plebiscitum. si à Senatu, Senatusconsultum dicitur, §. constat autem, per tot. Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. si à Magistratu, seù Prætore, Prætorum edicta. si à prudentibus, responsa prudentum appellantur, §. Prætorum edicta, & §. responsa prudentum, Instit. eod. tit. de iur. nat gen. & ciuil. ius autẽ non scriptum est, quod vsus approbauit, §. ex non scripto, Instit. eod. & vocatur mos, seù consuetudo, c. 1. & seq. de consuet. & tot. tit. C. de leg. Senat. & longa consuet.

Mau. Ius ciuile, quod latum fuit gentibus vel per populum, vel per Principem, vel per alios Magistratus, & prudentes, continebat nè aliqua præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia?

Luc. Vtique, sed diuersa à præceptis legis veteris, etsi enim ea deducerent legislatores à lege naturæ, tamen veluti imperfecti, in illorum cognitione errabant. Dabant ergò leges pro vsu rerum, pro cultu diuino, pro iudicijs agendis. ait D. Thom. 1.2. q 99. art. 3. in resp. circa princ. quòd Gentiles legislatores eo fine leges cõstituebant, vt ordinarent homines ad inuicem. & propterea non curarunt aliquid instituere de cultu diuino, nisi in ordine ad bonum commune hominum: & propter hoc etiam multa confinxerunt circa res diuinas, secũdùm quod videbatur eis expediens ad informandos mores hominum, vt patet in ritu Gentilium. sed lex diuina è conuerso homines ad inuicem ordi-

nauit, secundùm quod conueniebat ordini, qui est in Deum, quem principaliter intendebat. Ordinatur autem homo in Deum non solùm per interiores actus mentis (qui sunt credere, sperare, & amare) sed etiam per quędam exteriora opera, quibus homo diuinam seruitutem profitetur; & ista opera dicuntur ad cultũ Dei pertinere: qui quidem cultus cærẹmonia vocatur quasi munia, idest dona Cereris, quæ dicebatur Dea frugum: eo quod primò ex frugibus oblationes Deo offerebantur. siuè vt Valerius Maximus refert lib. 1. de cultu Deorum, cap. 1. De L. Furio Bibaculo, nomen cæremoniæ introductum est ad significandum cultum diuinum apud Latinos à quodam Oppido iuxta Romam, quod Cære vocabatur: eo quod Roma capta à Gallis, illic sacra Romanorum oblata sunt. & vt referam verba Valerij, indè institutum est sacras cæremonias vocari, quia Cæretani ea infracto Reipublicæ statu, perindè, ac florente coluerunt. &, omissis alijs, Cicero in 1. lib. de legib. dictauit quasdam leges circa mores. & in secundo alias edidit ad cultum Deorum. & in tertio quasdam alias tulit de Magistratibus.

Mau. Satis diximus de secundo tempore, transeamus ad tertium.

VI. *Luc.* In tertio tempore, à Redemptore nostro emanarunt tres aliæ leges; Euangelica, quam Christus docuit ore proprio, & Euangelistæ scriptis tradiderunt. Apostolica, quam Apostoli vltrà legem Euangelicam tradiderunt fidelibus authoritate Christi eis data, cum esset reuersurus ad Patrem, Abbas, & alij in c. 1. de sum. Trin. & fid. Cath. Maran. d. p. 3. n. 29. & 31.

De lege Euãgelica, & Apostolica, & quæ præcepta contineant, & de lege Canonica, & ex quibus constet.

& 31.& Canonica, quam Summi Pontifices tulerunt, ex potestate eis per Christum attributa per medium B.Petri, clem. Pastoralis, §. final. in fin. de sententia, & re iudic.

Mau. Lex Euangelica, & Apostolica quare dicitur lex noua, seù Testamentum nouum?

Luc. Dicitur lex noua, ratione ordinis; quia illam precesserat lex Mosayca, quæ dicitur vetus. sed D. Augustinus contra Faust. lib 4. affert aliam elegantem rationem; quia in lege veteri promittebantur tantùm temporalia, & caduca, quæ senescunt: in nouo autem promittuntur sempiterna, quæ semper virescunt.

Mau. Quomodo intelligitur, quod dicunt legem nouam esse legem fidei scriptam in cordibus fidelium?

Luc. Quòd lex noua sit scripta in cordibus nostris dixit Apostolus ad Hebr. cap. 8. ibi, Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam causas. & ideò dicit D. Thom. q. 106. art. 1. in resp. circa princ. quòd id, in quo tota virtus legis nouæ consistit, est gratia Spiritus sancti, quæ datur per fidē Christi. & ideò principaliter lex noua est ipsa gratia Spiritus sancti, quæ datur Christi fidelibus. habet tamen, vt subiungit circà fin., lex noua quędam sicut dispositiua ad gratiam Spiritus sancti, & ad vsum huius gratiæ pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in lege noua, de quibus oportuit instrui fideles Christi & verbis & scriptis, tàm circa credenda, quàm circa agenda. & ideò dicendum est, quòd principaliter lex noua, est indita. secundariò autem est lex scripta. & in respons. ad primū declarat, quòd in scriptura Euangelij non continentur nisi ea, quæ pertinent ad gratiam

Spiritus sancti, vel sicut dispositiua, vel sicut ordinatoria ad vsum huius gratiæ. sicut dispositiua quidem quantum ad intellectum per fidem, per quam datur Spiritus sancti gratia, continentur in Euangelio ea, quę pertinent ad manifestandum diuinitatem, vel humanitatem Christi. secundum affectum verò continentur in Euangelio ea, quæ pertinent ad contemptũ mundi, per quem homo fit capax Spiritus sancti gratiæ. mundus enim, idest amatores mundi, non potest capere Spiritum sanctum, vt habetur Io.c.4. vsus verò spiritualis gratię est in operibus virtutũ, ad quæ multipliciter scriptura noui Testamenti homines exhortatur.

Man. Si lex naturæ est homini indita, & si lex noua, seù gratia Spiritus sancti, in qua tota virtus nouę legis consistit, est data interius; vellem intelligere quomodo inuicem se habeant.

Luc. Dicam cum D.Thom. d. q. 106. art. 1. in resp. ad secundùm. quòd dupliciter est aliquid inditum homini. vno modo pertinens ad naturam humanam: & sic lex naturalis est lex indita homini. alio modo est aliquid inditum homini, quasi superadditum per gratiæ donum: & hoc modo lex noua est indita homini, non solùm indicans quid sit faciendum, sed etiã adiuuans ad implendum.

Man. Lex noua scripta secundariò, quæ præcepta continet?

Luc. Tria; videlicet moralia, sacramenta, & consilia.

Man. Ergò nihil statuit quoad iudicialia?

Luc. Nihil. Cum enim lex noua sit lex libertatis, &

data

data vniuerso Orbi, conuenienter reliquit quemlibet populum cum suis legibus, pertinentibus ad statum Reip.& Christus approbauit in Euangelio Imperatoris potestatem dicens: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Matth.cap.22. sufficienter enim Reges, & Imperatores pro salute Reipublicæ leges ciuiles tulerunt.

Man. Hac ratione, nihil etiam deberet continere quoad moralia, quæ pendent à lege naturali, & manifestata fuerunt per legem veterem.

Luc. Quoad mores, perfecit Christus legem veterē. nam quædam moralia præcepta sustulit, quædā verò ampliauit, & quædam diminuit, vt ait Archidiac. in §. his ita respondetur, nū. 1. 6. distinct. non ita tamen iudicialia sublata sunt, quin possint rursus institui, & seruari sine peccato, quando scilicet seruanda statuerent illi, quorum est leges condere. exempli gratia: præcipiebatur Exod. cap. 22. Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Hoc idem si aliquis Princeps hodie statueret esset obseruandum. Sic decimæ in lege veteri dabantur ad sustentationem ministrorum, Malach. 3. ibi, Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea. & idem seruamus hoc tempore, quo auctoritate Ecclesiæ decima soluenda est. vt scilicet populus nouæ legis maiori iustitia abundare debeat, iuxta illud Euangelij Matth. cap. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. vtq. maioris dignitatis sint ministri noui Testamenti,

quàm essent ministri Testamenti veteris, Apostolus 2. ad Corinth. cap. 3. & notat Archid. in cap. decimæ, nu. 3. 16. q. 1.

Mau. Quoad cæremonialia verò aliquid continet?

Luc. Noua lex ita sustulit cæremonialia legis veteris, vt ea illicitum sit penitùs hoc tempore obseruare. siquidem remanet hodie penitùs euacuata, & impleta: quippè quæ clarescente veritate cessauerunt, velut vmbra; cum in figura futuri instituta fuerint, non autem iustificationis gratia, Apost. ad Coloss. 2. & ad Hebręos 10. Sublatis itaq. cæremonialibus legis veteris, instituta sunt sacramenta legis nouę, propter tria, vt notat Io. Andr. in rubr. de Sacram. iterãdis vel non, num. 13. Primo propter humiliationem, vt dum homo rebus insensibilibus subijcitur, & inferioribus se subijcit, reuerenter ex hoc apud Deum amplius mereatur, c. quid ergò, 11. q. 3. Secundo propter eruditionem, vt per id, quod foris in specie inuisibili cernitur, ad agnoscendam inuisibilem sacramentorum virtutem erudiamur, c. perlatum, de consecrat. dist. 3. vltimo propter exercitationem, vt ocium vitetur, c. nisi cum pridem, §. verum, de renunciat. vt autem explicem breuiter vim, & operationem cuiusq. ex Septem sacramentis Ecclesię, dicam cum eod. Io. Andr. in dicta rubr. num. 12. Baptismus, est introeuntium, §. verum, 32. dist. Confirmatio, pugnantium, c. Spiritus sanctus, de consecrat. dist. 5. Eucharistia, progredientium, c. qui recedit, 29. q. 6. Pœnitentia, redeuntium, qui in pugna ruerunt, c. secunda post naufragium, de pœnit. dist. 1. Extrema Vnctio, exeuntium, §. sed istud, 95. distinct. Ordo sacer, alios regentium,

§. ecce

§. ecce cum honoris, 1. q. 1. Matrimonium, pugnam timentium, c. qui sitit, 33. q. 5.

Mau. Dic aliqua de consilijs, quæ, vt dixisti, lex noua continet.

Luc. Consilia addita sunt, quia cum lex noua non sit lex timoris, vel seruitutis, vt erat antiqua; sed lex amoris, & libertatis: congruentius fuit multa consilia potiùs, quàm plura pręcepta adhibere, quæ liberè quisq. exequi posset. ideòq. sub consilio cuiq. relicta sunt, vt qui potest capere capiat, Matth. cap. 19. Hinc dicitur in c. quisquis, 14. q. 1. Præcepto Domini non obedire peccatum est. Consilio si vti nolueris, minus boni adipisceris: non mali aliquid perpetrabis. vbi consilium datur, offerentis arbitrium est. vbi præceptum, necessitas est seruientis. Ea, quæ sub consilio Euangelico relicta sunt, non sunt ita necessaria ad salutem, vt sine illis ad eam perueniri nequeat; sed sunt admodum vtilia, quia ad eam reddunt viam faciliorem, & tutiorem.

Mau. Quæ sunt hæc consilia Euangelica?

Luc. Ad tria reducuntur consilia euangelica. vnum est consilium paupertatis. dicitur Matth. cap. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Alterum est continentiæ, dicitur Matth. cap. 19. sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. & in c. qui sitit, 33. q. 5. dicitur plus amat virgines Christus, quia tribuunt quod sibi non fuerat imperatum: maiorisq. gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Postremum est obedientiæ, quæ victimis iure præponitur. quia

per

per victimas aliena caro, per obedientiam verò volũtas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum placat, quanto antè eius oculos, repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat, c. sciendum, 8. q. 1. Hæc tria proposuit Christus; Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Matth. cap. 5. Per paupertatem abdicamus à nobis oculorum concupiscentiam, diuitias, facultates. Per continentiam abijcimus concupiscibilia oculorum, tactus, delitias. Per obedientiam contemnimus superbiam, honores, & mundi fastus.

Mau. Tertiam legem postremi temporis dixisti esse legem Canonicam. loquere de illa, si graue non putas.

Luc. Emanauit postremò ius Canonicum, quod initium sumpsit post sanctissimos Apostolos, tempore Constantini. cum enim anteà, feruente persecutione Imperatorum, Christianis non daretur facultas docẽdarũ plebium, & palàm se congregandi; indèq. Christianitas in diuersas hæreses scissa esset: ipse Constantinus dedit facultatem Christianis se congregandi. vndè plura celebrata fuerũt Concilia. & Summi Pontifices plura decreuerunt. pluresq. sancti Patres diuinas Scripturas interpretati fuerunt, c. Canones, 15. distinct. Constat itaq. ius Canonicum ex decretis Pontificum, statutis Cõciliorum, & dictis Sanctorum, quę in tribus libris continentur, Decretalium, Sexti, & Decreti. Primum locum obtinent decreta Summorum Pontificum. ex quo enim Papa non recipit potestatem ab homine, sed à Deo, c. sacrosancta, 22. dist.

nulla

nulla poteſt eſſe regula, nulla lex, quæ ipſum liget: cũ par in parem non habeat imperium, c. innotuit, §. quamuis, de elect. Concilia non ligant Papam. ea enim nonniſi Romani Pontificis auctoritate congregantur: eorumq. decreta robur non accipiunt, quàm à confirmatione Sedis Apoſtolicæ: & in Conciliorum ſtatutis ſemper excipitur Romani Pontificis auctoritas, c. ſignificaſti, verſ. aiunt in concilijs, de elect. Auctoritas congregandi Concilia eſt apud Sedem Apoſtolicam, 17. diſtin. §. 1. aliàs, ſine auctoritate Papæ quodcunque congregatum Concilium, conuenticulum, & conciliabulum dicitur, & caſſatur, & quidquid in eo actum eſt, irritum habetur & vacuum, c. multis, 17. diſtinct. & multò magis Pontificum decreta præualent dictis Sanctorum, cum Sancti nõ haberent poteſtatem legis condendæ, Felin. in c. ne innitaris, nu. 6. de conſtitut. & licèt ſacri Doctores, diuinarum Scripturarum interpretes, ſcientia interdum præcellant Pontificibus: tamen, cum ſtatuendi poteſtate carerent, in cauſis definiendis poſtponuntur; licèt præponantur in exponendis ſcripturis. aliud eſt enim cauſis terminum imponere, & aliud ſcripturas interpretari: cum in negotijs definiendis non ſolùm neceſſaria ſit ſcientia, verùm etiam poteſtas, §. 1. 20. diſtinct.

Mau. Primum igitur locum obtinent in iure Canonico decreta Pontificum, ſed quæ obtinent ſecundum?

Luc. Secundum locum in iure Canonico obtinent, vt dixi, ſacra Concilia vniuerſalia. & inter cætera quatuor ſunt præcipua, velut quatuor Euangelia, vel totidem Paradiſi flumina, videlicet Nicęnum, Conſtantino-

tinopolitanum,Ephesinum,& Chalcedonense. in quibus,velut quadrato lapide,sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ, & actionis norma consistit, c. 1. & 2. dist. 15. Concilia autem particularia, prout sunt Prouincialia, quæ conuocantur ab Archiepiscopis, seù Metropolitanis in eorum Prouincijs, nihil de nouo generaliter statuere possunt sine licentia, & auctoritate Papæ, c. Concilia sacerdotum, 17. distinct. & Episcopalia, quæ ab Episcopis in eorũ Diœcesibus conuocantur,pariter ad definiendum sunt inualida, sed non ad corrigendum: sunt enim necessaria Episcoporum Concilia ad exhortationem, & correctionẽ. quæ etsi non habeant vim constitutionis, habent tamen auctoritatem imponendi,& indicendi,quod alias statutum est generaliter: seù specialiter obseruari præceptum est, vt dicitur distin. 18. §. 1. intelligitur hoc tamen, vt constitutiones synodales, tàm Prouinciales, quàm Diœcesanæ, in maioribus negotijs quidquam nequeant definire. secus de alijs, vt per glos. dist. 18. §. 1. in verb constituendum. Tertium autem locum obtinent dicta Sanctorum, cum hac tamẽ distinctione, quòd ea,quæ inserta sunt,vel in Pontificum decretis, vel Conciliorum statutis, locum obtinent confirmantis, & ab eo emanasse censentur; nam auctoritate nostra facimus quibus auctoritatem nostram impartimur, l. 1. §. sed neque, c.de vet.iur. enucl. quæ verò sunt extrà decreta Pontificum, & Conciliorum, obtinent tertium locum: dictis enim sanctorum Patrum, vel aliorum ab Ecclesia receptorum, standum est, Innocent. in c.nec innitaris, & ibidem Felin. num. 3. & seqq. de constitut. Quæ autem dicta, seù opuscula

San-

Sanctorum recepta sint ab Ecclesia, refertur in c.sancta Romana Ecclesia, dist.15. Ius autem Canonicum non scriptum obtinet quartum, & vltimum locum, tot. tit. extra de consuetud.

Mau. Satis intellexi, quo ordine,quibusq. temporibus ab vno fonte tot leges processerint. restat vt intelligã quomodo se habeant inter se tot leges.

VII. Lex naturalis vetus, & noua quomodo se habeãt inter se.

Luc. A Deo datæ sunt lex naturalis, lex vetus, & lex noua. & sicut terra, vt dicitur Marci cap.4.fructificat primùm herbam,deindè spicam, deindè plenum frumentum in spica, ita lex naturæ tantùm herbescere valuit:lex verò Moysis spicas protulit,at lex noua pleno frumento spicas compleuit, provt cõsiderauit S.Io. Chrysost. in exposit. d.Euang. & refert D.Thom.1.2. q.107.art.3. in respons. rectè etiam dicere possumus, quòd homo ducitur iure naturæ, tanquam infans sub nutricis custodia: instruitur lege veteri, tanquam puer sub disciplina pędagogi: & perficitur lege noua, tanquam adultus affectu,& gubernio patris. Vnus est Deus vtriusque testamenti. Vnus est Deus,qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, Apost. ad Roman.cap.3. Vnus est finis cuiusvis legis, vt homo rectè vtatur rebus eius causa creatis, & Deo subdatur, latè D.Thom. 1.2. q.107.art.1.in respons. Gentes,quæ legem non habent, naturaliter ea,quæ legis sunt, faciunt. eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendũt opus legis,scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia, ait Apost. ad Roman. cap.2. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. itaq. lex pædagogus noster fuit

in Christo, vt ex fide iustificemur. at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu, dicit Apost. ad Galatas cap. 3. in fine. Sed cōcludamus hanc rem cum Diuo Thoma 1. 2. q. 91. art. 5. in respōs & ad tertium. Lex naturalis dirigit hominem secundùm quædam præcepta communia, in quibus conueniunt tàm perfecti, quàm imperfecti: & ideò est vna omnium. sed lex diuina dirigit homines etiā in particularibus quibusdam, ad quæ non similiter se habēt perfecti, & imperfecti: & ideò oportuit legem diuinam esse duplicē, veterem scilicet, quæ data fuit imperfectis; & nouam datam perfectis. Lex vetus ordinat ad bonum sensibile, & terrenum. vt enim habetur Exod. cap. 3. inuitatur populus ad terrenum Chananæorum. Noua verò ordinat ad bonum cæleste, legitur enim Matth. cap. 4. Exindè cœpit Iesus prædicare, & dicere: pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum. Lex vetus ordinat actus exteriores: Lex noua actus interiores. ea cohibet manum: hæc cohibet animum. ea inducebat homines ad obseruantiam mandatorum timore pœnarum: hæc autem per amorem, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quæ in lege noua confertur. ea est lex timoris: hæc est lex amoris. rursus dicamus cum eodem D. Thom q. 107. art. 1. in respons. lex vetus erat imperfecta, & lex noua est perfecta, vt latè prosequitur. ait Apost. ad Roman. cap. 8. in princ. Nihil ergò nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundùm carnem ambulant. lex enim spiritus vitæ, in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis. nam quod impossi-

possibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritũ. ea erat lex vmbræ,& figuræ: hæc autem est lex veritatis. de cæremonialibus enim dicit Apost. ad Coloss. cap.2. quòd erant vmbra futurorum. & de eadem lege vetere loquens idem Apost. ad Hebr. cap. 10. in princ. ait; Vmbram enim habens lex futurorum bonorum,non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere. Tandẽ dicamus, quòd Christus,vt legitur Matth.cap.5. non venit soluere legem, sed adimplere. vt autem legitur in c. ita respondetur, 25.q. 1. facto impleuit Christus veterẽ legem: quippè qui die octaua circumcisus est, & quadragesima die præsentatus in Templo. verbo autem legem perfecit; vt enim dicitur Matth. cap.7. Erat Iesus docens tanquam potestatem habens, idest tanquam legis Dominus, addens moralibus ea, quæ deerant ad perfectionem, & vmbram figuralium in lucem spiritalis intelligentiæ commutans,non tanquã Scribæ, qui, littera legis adstricti, non audebant aliquid addere, vel cõmutare. Hinc dicit Diuus Thom. eadem q. 107. art.2. in respons. post medium, quod Christus adimpleuit præcepta legis veteris opere, & doctrina. opere quidem, quia circumcidi voluit, & alia obseruare, quæ erant tempore illo obseruanda, secundùm illud Galat.cap.4.Factum sub lege. Sua autem doctrina adimpleuit præcepta legis tripliciter.

Primò quidem, verum intellectum legis exprimēdo, ſicut patet in homicidio, & adulterio, in quorū prohibitione Scribæ, & Phariſæi non intelligebant, niſi exteriorem actum prohibitum. Vndè Dominus legem adimpleuit, oſtēdendo etiā interiores actus peccatorum cadere ſub prohibitione. Secundò adimpleuit Dominus præcepta legis, ordinando quomodo tutiùs obſeruaretur, quod lex vetus ſtatuerat: vt homo non peieraret. & hoc tutius obſeruatur, ſi omninò à iuramento abſtineant, niſi in cauſa neceſſitatis. Tertiò adimpleuit Dominus præcepta legis, ſuperaddēdo quædam perfectiones, conſilia, vt patet Matth. cap. 19. & deindè ad primum reſpondens ait, quod lex noua non euacuat obſeruantiam veteris legis, niſi quantum ad cæremonialia, quæ erant in figuram futuri. vndè ex hoc ipſo, quod cæremonialia præcepta ſunt impleta, perfectis his, quæ figurabantur, non ſunt vlteriùs obſeruāda: quia ſi obſeruarentur, adhuc ſignificaretur aliquid vt futurum, & nō impletum: ſicut etiam promiſsio futuri doni, locum iam non habet, promiſſione iam impleta, per doni exhibitionem: & per hunc modum cæremoniæ legis tolluntur, cum implentur.

VIII. Lex Ciuilis, & Canonica quomodo ſe habeāt inter ſe, & cur ſint neceſſariæ.

Mau. Tres leges à Deo datas intellexi ſatis ſe habere inter ſe hoc modo, vt naturalis ſit perfecta, lex vetus ſit perfectior, noua autem perfectiſſima. vel ſic, vt naturalis explicetur per veterem, & vetus perficiatur per nouam. at quia dicebas ab hominibus duas eſſe traditas leges, Ciuiles ſcilicet, & Canonicas: ſupereſt, vt quomodo etiam illæ ſeſe habeant ad inuicem, breuiter oſtendas.

Luc. Hoc agam: ſed quoniam opinabaris, legem ab homi-

hominibus traditam, nõ fuisse necessariam, quasi sufficeret lex data à Deo. In primis dicam cum D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 1. in respons. quòd homini naturaliter inest quædam aptitudo ad virtutem. sed ipsa virtutis perfectio necesse est, quòd homini adueniat per aliquam disciplinam: sicut etiam videmus, quòd per aliquã industriam subuenitur homini in suis necessitatibus, putà in cibo, & vestitu, quorum initia quædam habet à natura, scilicet rationem, & manus: non autem ipsum complementum, sicut cætera animalia, quibus natura dedit sufficienter tegumentum, & cibum. ad hanc autem disciplinam non de facili inuenitur homo sibi sufficiẽs; quia perfectio virtutis præcipuè consistit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus, ad quas pręcipuè homines sunt proni, & maximè iuuenes, circa quos est efficacior disciplina. & ideò oportet, quòd huiusmodi disciplinam, per quam ad virtutem perueniatur, homines ab alio sortiantur. & quidem quantum ad illos iuuenes, qui sunt proni ad actus virtutum ex bona dispositione naturę, vel consuetudine, vel magis diuino munere, sufficit disciplina paterna, quę est per monitiones. sed quia inueniuntur quidam proterui, & ad vitia proni, qui verbis de facili moueri non possunt, necessarium fuit, quod per vim, vel metum cohiberentur à malo: vt saltem sic malè facere desistentes & alijs quietam vitam redderent, & ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem ad hoc perducerẽtur; quod voluntariè facerent, quæ priùs metu implebant, & sic fierent virtuosi. huiusmodi autem disciplina cogens metu pœnæ, est disciplina legum. Vndè necessarium fuit ad pacem

hominum, & virtutem, quod leges ponerentur: quia Philosophus dicit in 1. Polit. sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum animalium; sic, si sit separatus à lege & iustitia, est pessimum omnium: quia homo habet arma rationis ad expellendas concupiscentias, & sæuitias, quæ non habent alia animalia.

Mau. Necessariæ ergò fuerunt leges humanæ, tàm Ciuiles, quàm Canonicæ.

Luc. Lex Ciuilis necessaria est ad explicationem, & executionem legis naturæ in ijs, quæ pertinent ad vsum rerum, ad conseruationem humanæ societatis, ad finem naturalem præsentis vitæ. & potissima virtus, ad quã conatur ius ciuile, est ciuilis amicitia, quæ legalis iustitia appellatur. non recedit in totum ius ciuile à iure naturali, vel gentium, neque per omnia ei seruit; sed vel aliquid addit, vel detrahit, l. ius ciuile, ff. de iustit. & iur. pertinet ad res, vel ad personas, vel ad actiones, §. fin. Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. & totum consistit aut in acquirendo, aut in conseruando, aut in minuendo. aut enim agitur quemadmodum quid cuiusq. fiat; aut quemadmodum quis rem suam, vel ius suum conseruet; aut quomodo alienet, aut amittat. Lex autem Canonica est necessaria ad explicationem, & executionem legis diuinæ, in ijs, quæ pertinent ad rerum sacrarum dispositionem, ad conseruationem Reipublicæ Christianæ, ad finem supernaturalem futuræ vitæ, ad quem fidelium actiones dirigit. & potissima virtus, ad quam conatur ius Canonicum, est ipsa cælestis amicitia, quæ charitas appellatur. & ius Canonicũ non recedit in totum à lege Euangelica, & Apostolica; neque per omnia ei seruit,

quoad ea ſcilicet, quæ non ſunt de fide, & non concernunt materiam peccati: ſed vel aliquid addit, vel detrahit. neque enim lex diuina in totum tolli poteſt per humanam, ſed benè poteſt reſtringi, modificari, limitari, & diſtingui, ex adductis per Felin. in c. quæ in Eccleſiarum, nu. 19. de conſtit. Verſatur etiam ius Canonicum circa tria, videlicet circa perſonas, res, & iudicia: agitur enim iure Canonico de perſonis Eccleſiaſticis, & ſacra miniſtrantibus, de rebus ſacris, & Sacramentis miniſtrandis, & de iudicijs, ratione earundem rerum Eccleſiaſticarum, & ſpiritualium agẽdis.

Man. Hac noſtra ætate vtimur nè inſimul omni iure naturali, diuino, & humano?

Luc. Iure naturali vtimur ſine dubio; quia diuina lex naturæ præcepta manifeſtat: tum etiam quia lex, quæ ab homine proficiſcitur lex nõ eſſet, niſi præceptis naturæ conueniret, vndè Cic. lib. 2. de legib. ait, Nec verò iam aliam eſſe vllam legem puto nõ modo habendam, ſed nè appellandam quidem. vtimur iure Moſayco, & Prophetico expoſitiuo, vt diximus, iuris naturalis quoad mores; nam Moyſes, & Prophetæ docuerunt naturalia præcepta, vndè dicitur Matth. c. 7. Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis, hæc eſt enim lex, & Prophetę. Præcepta Decalogi obſeruamus, &, ſublatis cæremonialibus iudicialia, quæ immutata non ſunt, amplectimur: Lex enim Moſayca, & Prophetica, in eo, in quo non reperitur immutata, poteſt allegari ad deciſionẽ cauſarum, Calderin. conſ. 30 tit. de teſtam. Marant. in ſuo Specul. par. 3. verſ. iudic. tel. aggred. at in ijs, quæ mutata eſt, remanet ius ſpeciale Iudæorum; inter quos

IX. An inſimul hodie vtamur iure naturali, diuino, & humano.

eo cessante, seruatur ius commune, vt per Calder. & Marant. in locis præallegatis. Legem autem Euangelicam, & Apostolicam firmiter tenemus, & obseruamus, & confitemur redempti sanguine agni, detestantes errores gentium, & Hebræorum, iuxta illud Ierem. c. 16. in fine. Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit. & iuxta dictum Apostoli ad Ephes. c. 2. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquãdo eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. & ita inuiolabilis est apud nos obseruantia tàm legis naturalis, quàm diuinæ; adeò vt, si humana lege, vel Ciuili, vel Canonica aliquid contrarium præciperetur, nullatenus obseruaremus: damnatum, irritumque, & prorsus inane huiusmodi præceptum, remaneret. non enim potest, qui minoris est authoritatis, eum qui maioris est potestatis, suis addicere iudicijs; aut proprijs definitionibus subiugare, c. inferiori, 21. distin. Ideòq. cum Princeps iubet ea, quæ sunt contraria Deo, non est ei obediendũ, c. non semper, 11. q. 3. Sed obedire magis oportet Deo, quàm hominibus, c. si Dominus, 11. q. 3. si homo carcerem, Deus gehennam minatur, C. qui resistit, 11. q. 3.

Vtimur etiam iure ciuili, iure illo Romanorum, quod habuit initium à legibus Regum. quę, cum ob discordiam plebis, & nobilium, per plures annos in desuetudinẽ abijssent: translata fuit à Gręcis lex duodecim tabularum, in scriptis redacta per decem viros, c. Moyses, 7. distin. & ibi glos. in verb. decem viri, quorum nomina referuntur in c. 2. eadem 7. distinct. Id, quod melius enarratum est in l. 2. ff. de orig. iur.

vbi

vbi Accurſ. in verb. cõſtitui, miſcet quandam fabulam de ſtulto per Romanos miſſo ad diſputandum cũ Gręcis; quæ ſumenda eſt pro ioco, non pro hiſtoria. Hoc itaq. ius ciuile deductum, compoſitum, & perfectum fuit ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, Prætorum edictis, & reſponſis Prudentum. & continetur in libris Digeſtorum, Codicis, Inſtitutionum, & Authenticorum: & eſt ius verè enucleatum, limatum, purgatum, optimèq. digeſtum, vt oſtenditur in Procœmio Digeſtorum. & de legibus Iuriſconſultorũ dicit And. de Iſern. in conſt. ſi dam. ſolu. fin. in princ., quòd factæ fuerunt cum tanta iuſtitia, & ratione, vt in eis iniuſtitia aliqua non poſſit inueniri; vt refert Marant. d. par. 3. num. 121. Quando autem accideret, vt leges ciuiles non poſſent ſeruari ſine peccato, neminem ligant, quouis foro ſiuè ſæculari, ſiuè Eccleſiaſtico, c. fin. de præſcript. Cum autem poſſunt ſeruari ſine peccato; tunc ſi concordant cum ſacris Canonibus omnes ligant, c. 1. de oper. nou. nunciat. Sin autem contrariantur, tunc quælibet lex debet ſeruari in foro ſuo: Ciuilis in foro ſæculari; & Canonica in foro Eccleſiaſtico, l. leges ſacratiſſimæ, C. de legib. c. 1. & ibi gloſ. & Doctores, C. de legibus.

Vtimur tandem iure Canonico, tribus voluminibus concluſo. & ſi caſu eueniret, vt ius Canonicum contrariaretur legi Euangelicæ in ijs, quæ pertinent ad fidem, & quæ concernunt peccatum, non eſſet obſeruandum; c. ex parte, de conſuet. nam quilibet ſiuè Papa, ſiuè Imperator, legem Euangelij ſeruare tenetur: quod ſi contrarium facerent, non dicerentur legem dare, ſed errare, c. ſunt quidam, cum pluribus

ſequentibus, 25. q. 1. In alijs verò, quæ non concernunt fidem, & materiam peccati, prout ſunt ea, quæ ſunt perfectionis, & conſilij, ſi ius Canonicum contrariatur eidem legi, illud eſt ſeruandum, c. in omni, vbi Doct. not. de teſt. Super dubijs autem fidei Papa poteſt ſpecialiter facere declarationem, & conſtitutionem, c. quoties, & c. hæc eſt fides, 24. q. 1. Leges ciuiles, quæ ab Imperatoribus latę ſunt ſuper rebus, perſonisve Eccleſiaſticis, valent quidem, ſed non tanquam ab Imperatore, ſed tanquam latæ ad petitionem Eccleſiæ, & tanquam à Papa approbatæ, gloſ. in c. quo iure, in verb. leges, diſtin. 8. & ibi Archid. num. 18. Atque leges ciuiles, & conſtitutiones Imperatorum, in iure Canonico nullum locum obtinent: etiamſi ſint inſertæ in libro Decreti. Gratianus enim, qui in dicto libro plures leges iuris ciuilis inſeruit, non habuit auctoritatem eas auctorizandi tãquam ius Canonicum. Vndè remanent leges iuris ciuilis, provt anteà erant, & perindè habentur, ac ſi ibi non eſſent inſertæ: & nõ ſeruantur vti Canones, ita dicit Abbas in c. 2. num. 9. de reſcript. At vbi ceſſat ius Canonicum, Cæſareæ leges poſſunt adiri, vt not. Doct. in c. 1. de no. oper. nunc. Diuerſa etenim eſt vna poteſtas ab altera, prout mox dicam, poſtquam de legibus ſatis dixiſſe exiſtimo. Tu verò quid ais?

Mau. Aperuiſti intellectum meũ ad multa. multasq. dubitandi de legibus occaſiones ſuſtuliſti. id quod ſi præſtiteris de poteſtate, redibo domum hilaris, & valdè contentus.

X. De poteſtate, & quotuplex ſit.

Luc. Nè deficiam curabo. ait Imperator in authent. quomodo oporteat Epiſcopos, §. 1. maxima ſunt in om-

omnibus dona Dei à superna collata clementia, Sacerdotum, & Imperium. Illud quidem ministrans diuinis: hoc autem humanis præsidens, ac diligentiã exhibens. vno,eodemq. principio vtraq. procedentia, humanam exornant vitam. & inquit Pontifex in c.solitæ, §. præterea, de maior. & obedientia, Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli; luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti. vtrumq. magnum, sed alterum maius. Ad firmamẽtum igitur cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria: idest duas instituit dignitates; quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est. quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur. Duo itaq. sunt, quibus principaliter mundus regitur: authoritas sacra Pontificum; & Regalis potestas, c. duo sunt, distinct. 96. & Imperator habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitùs consequutus est: vt eius beneficijs non ingratus, contra dispositionem cælestis ordinis nil vsurpet. ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere: non ad sæculi potestates, quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas, c.si Imperator, eadem 96. distinct.

Anteà, quasi media nocte, Sacerdotium cohærebat Imperio. Deus in monte Synai eodem tempore contulit Moysi legem, & Sacerdotium, glos. in c. translato, in verb. simul, de constit. & Gentilium etiam hæc erat consuetudo, vt Rex esset Sacerdos, & Pontifex.

Ideòq. Romani Imperatores Pontifices dicebantur, vt refertur in c. Cleros, vers. anteà autem, 21. distinct. sed orto iam die, orto Sole iustitiæ, Sacerdotium longè præfulget, & duæ hæ potestates ita distinctæ sunt; ita discreta sũt vtriusq. potestatis officia; vt quod vnius est proprium, altera non vsurpat: sed sibi suffragantur inuicem. quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq. discreuit; propria volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri; non humana superbia rursus in inferno demergi: vt Christiani Imperatores, pro æterna vita, Pontificibus indigerent; & Pontifices, pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus vterentur, quatenùs spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, vt legitur in c. quoniam, dist. 10. Ideòq. post Christum, cum ad verum ventum est, vltrà sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit: nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit, c. cum ad verum, 96. distinct.

Mau. Vellem audire aliqua, præcipua tamen, de sæculari potestate.

XI. De potestate sæculari, & publica quã sit necessaria & an penes vnum sit vel plures.

Luc. Potestatis verbo plura significantur; Imperium scilicet, in persona Magistratuum: Patria potestas, in persona liberorum: & dominium, in persona serui, l. potestatis verbo, ff. de verb. signific. Docent Doctores, potestatem esse ius personæ in personam; & consequenter in bona. eamq. diuidunt in publicam, & priuatam: Publicam appellant, quæ residet in Principe, & quæ per eum communicatur inferioribus Magistratibus. Priuatam verò, quam habet dominus in

seruum;

seruum; pater in filium; tutor in pupillum; & maritus in vxorem. Ea ratione appellant publicam Principis, & Iudicum potestatem, quia ex publico introducta fuit, & dicitur iurisdictio, idest dictio, seù potestas iuris. & vt definit glos. in l. 1. in verb. potest; ff. de iurisdict. omn. Iudic. Iurisdictio est potestas de publico introducta cum necessitate iurisdicendi, & æquitatis statuendæ. qua necessitate stante rectè infert Bald. cons. 365. num. 2. lib. 5. Principem non posse facere pactum, quod delinquens in suo territorio non puniatur. & qui ius dicere detrectaret; Principis, Iudicisvè nomine deposito, aspis tortuosa propriè appellaretur; quæ calcat vnam aurem in terram, & alteram obturat cauda, nè audiat incantationem, glos. in c. ad Apostolicæ dignitatis, in verb. aspidis, de sent. & re iudic lib. 6. Hæc potestas suprema scilicet, & absoluta, si est apud vnum constituitur Monarchia, idest, dominatus vnius. qui si malus est, tyrannidis nomen assumit. si est apud populum Democratia dicitur, seù status popularis: qui nisi bonus sit, Oclocratia dicitur. si verò est apud solos optimates, Aristocratia appellatur: qui si potestate abutantur, nascitur Oligarchia, D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 4. vers. 3. est, post Philosophum in 3. Polit. cap. 10. tom. 5. ait, distingui leges secundùm diuersa regimina Ciuitatum: quorum vnum est regnum, quando scilicet Ciuitas gubernatur ab vno. & secundùm hoc accipiuntur cõstitutiones Principum. aliud verò regimen est Aristocratia, idest principatus optimorum, vel optimatum. & secundùm hoc sumuntur responsa Prudentum, & Senatusconsulta. Aliud regimen est Oligarchia, idest prin-

principatus paucorum, diuitum, & potentum, & secundùm hoc sumitur ius Prætorium, quod etiam honorarium dicitur. Aliud autem regimen est populi, quod nominatur Democratia. & secundùm hoc sumũtur plebiscita. Aliud autem est tyrannicum, quod est omninò corruptum, vndè ex hoc non sumitur aliqua lex. Est etiam aliquod regimen ex istis commixtum, quod est optimum. & secundùm hoc sumitur lex, quam maiores natu simul cum plebibus sanxerũt. Apud Romanos fuit hæc potestas primò penes Reges: deindè penes populum, qui posteà illam transtulit in Imperatorem, l.2.ff. de orig. iur. l.1.ff. de const. Princ. Quisquis sit, qui habeat potestatem hanc absolutam, est velut Deus in suo territorio, in suo dominio; exercet enim potestatem, quæ à Deo est. sed quatenùs regendi munus sibi à Deo commissum, necessariò, & rectè exequi tenetur, dicitur seruus Dei. quatenùs autem eius potestas nullo tempore, nullisq. circumscripta est legibus, & omnes ei decet obedire: iure merito Dominus appellatur, sic in auth. de Consulibus, vers. omnibus, Imperator, appellatur, lex animata, cui Deus ipsas leges subiecit. & in l. quas gratias, circa principium, C. de offic. Pręfect. Pręt. Africæ, dicitur seruus Dei, ibi, qui per me vltimum seruum suum. & in l. deprecatio, ff. ad l. Rod. de iactu, dicitur Dominus mundi. ibi Antoninus dixit Endemoni, ego mundi Dominus. Semper fuit, semperq. erit hæc potestas inter homines: sed non eodem modo, & in eodem statu. Mutantur Regna, & Imperia. non est aliquid perpetuum sub Sole. Exoritur Sol, & occidit. frondescunt arbores, & arent. nascuntur animalia,

malīa,& pereunt; adolent homines,& ſeneſcunt. Neceſſe eſt igitur, vt quæ florent imperia, aliquando etiā defloreſcant. Tempus eſt cauſa rei cuiusq. corruptionis. vndè dicebat Martialis lib. 9. Epigram. 10.

Quid non longa dies? Quid non conſumitis anni?

Circa ſtatum humanum,nihil ſtabile eſt,auth. de non alien. aut permut. §.vt autem,collat. 2.nec corporum natura poteſt manere in eodem ſtatu : ſed modò creſcit, modò decreſcit, c. nè tales, de conſecrat. diſt. 5. gloſ. fin. in c. ad hoc, 89. diſt. Diuiduntur dominia mortuo patre. Mox vna pars in plures ſubdiuiditur. Mutantur viuendi mores, augetur dominantium ſæuitia, minuitur reuerentia ſubditorum, oriuntur diſſidia, petunt rebelles aliena auxilia. Hinc ſuccedunt incurſiones,depopulationes,tranſlationesq. dominiorum. Imperia,& Regna modò augmentum receperunt, modò diminutionem : ſecundùm quod eorum territoria modò extenſa ſunt, modò reſtricta. Hæc ſiquidem poteſtas ſiuè cohereat territorio, ſiuè ſit ſupra territorium, vt contendunt Doctores in l. Imperium, ff. de iuriſd.omn. Iud.in tantum ſe protendit, in quantum ſe extendit territorium. Latiſſima erat ditio, & poteſtas Romani Imperij, quæ vt dicitur in §.hæc conſiderantes, in authent. vt omnes obed. iud. prouinc. Videbat aſcendentem Solem, & deſcendentem, & ex vtroq. latere. & ſic extendebatur ad quatuor mundi partes, Orientem,Occidentem,Meridiē, & Septentrionem. ſed tractu temporis reſtrictionem quam maximam paſſa fuit. Hinc exorti ſunt in Italia, & alijs Prouincijs plures Reges, plures Principes, qui hanc ſupremam poteſtatē conſequuti ſunt. & in eorū

Re-

Regnis, & Principatibus neminem superiorem recognoscunt, nisi Deum. idemq. possunt in eorum territorio, quod Imperator in suo, Bart. Bald. & alij in l. 1. §. de qua re, ff. de postulando. & etiam tempore Romanorum existebant aliqui populi liberi, Romano Imperio minimè subiecti, vt dicitur in l. non dubito ff. de captiu. & postlimin. reuers.

XII. *Mau.* Huius potestatis sunt nè plures actus?

Qui sint actus potestatis sæcularis, & qui respiciant publicam, & qui priuatã vtilitatem.

Luc. Plures sunt actus huius potestatis, & alij respiciunt publicam vtilitatem, alij verò priuatam. Respicientes publicam vtilitatẽ sunt. Leges vniuersales condere, l. non ambigitur, ff. de leg. l. 3. & vlt. C. eodem. Monetam cudere, l. 2. C. de fals. monet. Vectigalia, & tributa pro publicis necessitatibus imponere, l. 1. & tot. tit. C. vectigal. noua instit. non poss. Bellum, pacemq. inire, §. 1. auth. de armis. Magistratus creare, l. 1. ff. ad l. Iul. Maiest. & Tabelliones, c. cum P. Tabellio, & ibi Innoc. num 2. de fid. instrum. Dignitates cõferre, l. probatorias, C. de diuers. offic. lib. 12. Punire delinquentes, l. Imperium, ff. de iurisdict. omn. iud. vel pœna mortis, l. edicto Prætoris, §. rei capitalis, ff. de bon. poss. vel mutilatione membrorum, auth. de collat. §. ad hoc prohibemus, ff. de offic. Proconsul. l. leuia, ff. de accusat. vel deportationis, damnationisq. ad triremes, & ad perpetuos carceres, l. aut damnum, §. Præfecto planè Vrbis, & l. inter pœnas, ff. de interd. & releg. c. qualiter, & quando il 2. vbi Innocent. not. num. 6. extra de accusat. vel pœna relegationis, exilij, & banni, glos. in l. nulli, C. de sent. & interlocut. omn. Iud. §. relegati, Instit. quib. mod. ius patr. potest. soluitur vel pœna pecuniaria, & mulcta, l. fin. C. de mod. mul-

mulctarum. & isti,& alij actus si qui sunt, propter publicam vtilitatem sunt necessariò explendi, ea tamen necessitate, quæ prouenit ex iure,& actione, seù obligatione partium.

Mau. Qui sunt actus, qui respiciunt priuatam vtilitatem ?

Luc. Actus respicientes priuatam vtilitatem, sunt in duplici differentia: alij fiunt ex sola necessitate auctoritatis,& officij: alij verò ex necessitate iuris, & obligationis,& actionis partium. De primis afferri possunt plura exempla; sed hæc sunt potiora: Dare veniam ætatis, l. 2. C. de his qui ven. ætat. impetr. Legitimare illegitimos, authent. quib. mod. nat. effic. legitimi, §. fin. Supplere defectus facti, & iuris, l. omnium, C. de testam. Interponere decretum super arrogationibus, l. 2. C. de adopt. Super emancipatione, l iubemus, C. de emancipat. liber. Super alienatione rerum minorum, & aliorum, qui prohibiti sunt alienare, l. 1. & l. minorum, C. de præd. minor. Tutores, & Curatores dare, l. Lucius Titius la 2. §. cum testamento, ff. de administr. tut. cum simil. Dare possessionem bonorũ ex secundo decreto, & ex alijs capitibus. Restituere ad famam, & ad honores, l. 1. §. de qua, ff. de postul. Restituere gratiosè aduersus rem iudicatã, l. relegati, ff. de pœn. Restituere in integr. aduersus actus præiudiciales, l. 1. & l. minor, ff. de min. l. 1. C. de in integ. restit. l. fin. C. si aduersus vendit. Et isti,& si qui sunt alij similes, respiciunt quidem priuatam vtilitatem: sed non petuntur vigore obligationis, seù actionis, sed expediũtur sola auctoritate, & solo officio Iudicis nobili, non autẽ mercenario, deseruiente actioni intentatæ:

De

De illis autem actibus, qui respiciunt priuatā vtilitatem,& qui proueniunt ex iure partium,& expediūtur officio Iudicis mercenario, non est opus quærere alia exempla: quia sunt omnes actus, qui fiunt per Iudicem in contradictorio iudicio, & in causis, quibus partes petunt, quod sibi iure debetur vigore actionis, & obligationis.

Mau. Istam potestatē cur non vnus exercet? & si conuenit vt plures illam exerceant,cur non eodem modo omnes exercent?

XIII. Magistratuū constitutio quare fuerit necessaria,et quæ iurisdictio sit tributa Magistratibus inferioribus.

Luc. Habens hanc potestatem non potest per se omnes eius actus explere: nequit enim vnus solus omnibus negotijs satisfacere,omnibusq. in locis interesse. ideò necessaria fuit constitutio Magistratuum, deputatio Iudicum, & delegatio, seù commissio causarum. Hinc, vt legitur Exod. c. 18. Ietro cognatus Moysi, quando vidit eum sedentem à mane vsque ad Vesperas ad iudicandum populum, eum monuit, dicens: Non bonam rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est: vltrà vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent: prouide autem de omni plebe viros potentes,& timentes Deum, in quibus sit veritas,& qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos,& Centuriones,& Quinquagenarios, & Decanos,qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te,& ipsi minora tantummodo iudicent. leuiusq. sit tibi, partito in alios onere. si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cū pace. quibus auditis

auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat. & electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Hinc est etiam, quòd inuenta ex iure gentium potestate, & iurisdictione, ius ciuile necessitate cognita, plures species iurisdictionis proprijs nominibus distinxit, Bald. in l. ex hoc iure, num. 12. vers. opponitur secundo, ff. de iust. & iur. ita tamen, vt vnus sit Princeps habens omnimodam iurisdictionem: plures autem sint Magistratus, quibus iurisdictionis species communicentur; non tamen eodem modo, sed plus vni, & minus alteri, Alex. in l. 1. nu. 3. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisdictio.

Cuius rei eandem ferè Ietri rationem reddit Imperator in l. præcipimus, C. de appellat. dicens: Nolumus vlterius audientiam nostram expectari, ne nostris occupationibus, quibus pro vtilitate mundi à singulorum nonnunquam negotijs auocamur, aliena defraudari commoda videantur. Eandem rationem amplexus est Pontifex in c. mandata, de præsumptionibus, dicens: Mandata cælestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. sic videmus in naui vnum gubernatorem velut Principem, plures autem ministros, distinctis officijs, incumbentes. sic in corpore vnum est caput, & plura membra: quæ tamen omnia non habent eundem actum. ita ferè se habent Princeps, & Magistratus, & Iudices, sicut arbor, & rami, quorum alij maiores sunt, & alij minores:

res: sed robur vnum tenaci radice fundatum est, c. loquitur, 24. q. 1.

Habent omnes potestatem à Principe; Princeps creat dignitates, c. 1. quis dicatur Dux, Comes, & Marchio, in vsibus feudorum. & sicut omnes dignitates, & potestates à Principe fluunt, ita & ad eum refluunt, sicut flumina ad mare. Princeps constituit dignitates; Princeps eas supprimit. Princeps concedit potestatē; Princeps eam adimit. Princeps causas cognoscendas demandat; Princeps sententias Magistratuum, & Iudicum reformat, grauamina reponit: quando scilicet aditus est, vel per appellationes, nullitates, vel querelas. Qui quocunque tempore incipiat cognoscere de aliqua re, cæteris omnibus impositum est silentium, vt not. Doct. in c. cum M. Ferrarien. de constit. Abb. cons. 6. nu. 2. par. 2. Non conuenit vt plures sint Principes, sed conuenit vt plures sint ministri vnius Principis. Sol vnus; plures radij, d. c. loquitur, 24. dist. In apibus princeps vnus est. grues ordine literario vnam sequuntur. Roma in sui initio duos Reges simul habere non valuit: sed interemptus est Remus, Romulo regnante. in Rebecæ vtero Esau, & Iacob bella gesserunt, c. in apibus, 7. quæst. 1.

XIV. De iurisdictione in genere, & de Imperio mero, & mixto, & simplici iurisdictione

Mau. Quam potestatem sibi Princeps reseruauit?

Luc. Vt aliquo modo intelligas quam potestatē Princeps sibi reseruauerit, & quam Magistratibus attribuerit, & quænam sint causæ, quarum cognitio alteri tàm per Principem, quàm per Magistratus possint demandari: nota, quòd iurisdictio tanquam sumpta in genere cōtinet sub se imperium, & iurisdictionem simplicem. Imperium subdiuiditur in merum, & mixtum.

mixtum. Merum imperium dicitur illa iurisdictio, quæ exercetur ad publicam vtilitatem: & dicitur merum imperium, quia ex solo imperio, ex sola auctoritate, ex solo officio procedit. Dicunt Doctor. in l. 1. & in l. imperium, ff. de iurisd. omni iud. quòd sex sunt gradus meri imperij, & hoc etiam figuratur in arbore iurisdictionis, videlicet, Maximum, Maius, Magnum, Paruum, Minus, Minimum; &, exemplificando, dicunt maximi imperij esse omnia, quæ sunt reseruata Principi, prout est legem vniuersalem condere, monetam cudere, & similia. & Bald. in d. l. imperium, n. 4. enumerat sexdecim, quæ sunt de reseruatis Principi, & quæ successiuè sunt de hoc gradu maximi imperij meri: Maioris autem imperij dicunt esse, punire sontes pœna mortis: Magni verò, punire amissione ciuitatis, seù libertatis, prout est deportatio, damnatio ad triremes, & ad perpetuos carceres: Parui, imponere pœnā relegationis banni, seù exilij: Minoris, affligere corpus fuste, vel tortura, mulctare, seù punire pœna pecuniaria.

Mau. Quod autem est mixtum imperium?

Luc. Mixtum imperium dicitur illa iurisdictio, quæ procedit ex sola auctoritate, & officio: sed respicit priuatam vtilitatem, nō autem publicam. & pariter Doctores ponunt sex gradus mixti imperij; maximum, maius, magnum, paruum, minus, & minimum. In primo gradu ponunt, dare veniam ætatis, legitimare, dispensare, & similia: In secundo, cognoscere de supplicatione aduersus sententiam latam ab eo, à quo nō potest appellari: In tertio cognoscere causas requirētes plenam cognitionem, & coercitionem realem, vel

personalem, vt est mittere in possessionem ex secundo decreto, restituere in integrum, expellere aliquem de possessione re ipsa, & similia: In quarto, cognoscere causas, quæ licèt requirant plenam cognitionem, non tamen habent coercitionem realem, & personalem, prout est dare bonorum possessionem, quę tribuit ius, pronunciare aliquem mittendum in possessionem, ex secundo decreto, interponere auctoritatem in alienationibus, & similibus: In quinto, cognoscere de causis, quæ requirunt summariam tantùm cognitionem, prout est mittere in possessionem ex Carboniano edicto, videlicet ventrem prægnantem, & similia: In sexto & vltimo, cognoscere de causis, quæ expediuntur sine causæ cognitione, prout est interponere decretũ manumissioni, mancipationi, & similibus.

Mau. Superest, vt aliquid dicas de iurisdictione.

Luc. Iurisdictio simplex, est quæ priuatam respicit vtilitatem, & procedit ex iure partium, actionis scilicet, cuius pariter sex gradus Doct. constituunt. & est maxima, maior, magna, parua, minor, & minima. Maximæ iurisdictionis dicunt esse cognoscere de causis status, libertatis scilicet, nobilitatis, famæ, & similium, quæ sunt maximi præiudicij: Maioris autem iurisdictionis esse dicunt, quando ex causa descendente ex delicto, quis non potest soluere pecuniam; tunc enim luere debet in corpore. & sic hoc statuere, vt quis luat in corpore, qui non habet in ære, est huius secundi gradus simplicis iurisdictionis: In tertio gradu magnę scilicet iurisdictionis ponunt cognitionem causarum ciuilium valoris vltrà 300. aureos; in alijs verò tribus gradibus, paruæ scilicet, minoris, & minimæ iurisdi-

iurisdictionis ponunt cognitiones causarum à 300. aureis, & sic quæ sunt parui, minoris, & minimi valoris; id quod à iure non est determinatum, sed residet in arbitrio Iudicis. Quæ omnia pleniùs videbis in arbore iurisdictionis, & in eius declaratione, & apud Interpretes in d. l. 1. & l. imperium, ff. de iurisd. omn. iud. vbi etiam tradunt quæ causæ possint delegari, & quæ non. Quam rem, vt vno verbo expediam, dico quòd Princeps potest delegare omnes causas tàm meri, quàm mixti imperij, & simplicis iurisdictionis: Magistratus verò inferiores eas causas, quæ cum temperamento, & mitigatione rigoris iuris, & sic non secundum ius, sed quasi præter ius sunt expediendæ, non possunt delegare; quia in eis videtur electa industria personæ. ex causa tamen infirmitatis, & absentiæ, possunt delegare. sed causas simplicis iurisdictonis, quæ nonnisi de iure sunt terminandę, possunt delegare; sed hæc tetigisse sufficiat.

Mau. Vis nè aliquid dicere de Magistratuum potestate?

Luc. Secundùm glossam in l. 1. in verb. tribuuntur, ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. quatuor sunt gradus Magistratus, videlicet Illustres, spectabiles, clarissimi, & simplices Magistratus. sed secundùm glossam in Auth. vt ab Illustribus, in verb. post magnificētissimos. sunt quinque, videlicet, super Illustres, Illustres, spectabiles, clarissimi, & minimi, qui nec habent nomen. & differentia cōsistit in hoc, quòd si Princeps, prout est Papa, Imperator, & Rex, debeat connumerari inter dignitates, seù Magistratus, erunt quinque gradus. & in primo erit idem Princeps, secundùm

XV. De quatuor gradibus Magistratuum.

prædictam glossam secundò allegatam. Si verò non debet connumerari Princeps tanquam supra dignitatem, & Magistratum, & supra legem, tunc erunt quatuor. & qui enumerentur singulo gradu videbis per Doctor. in d. l. 1. qui etiam ponunt, quando dicatur iurisdictio ordinaria, & delegata, provt etiam docent Canonistæ in tit. de off. ord. & de off. deleg. Magistratus autem nostri temporis non sunt omninò similes; nam quisque Princeps hodie deputat varios Officiales, quibus communicat eam facultatem, quam vult. & aliquibus maiorem, aliquibus verò minorem, provt exprimitur in eorum patentibus, seù literis facultatum. & varijs nominibus appellantur, videlicet Præsides, Gubernatores, Rectores, Prætores, & alijs similibus: & quia non abdicat Princeps à se iurisdictionem, sed illam communicat provt Sol radijs communicat lucem, ideò Princeps concurrit cum omni ordinario in potestate, & iurisdictione.

Mau. Hæc sufficiant de potestate publica. sequitur dicendum de priuata.

XVI. *Superior quomodo se gerere debeat cum inferiore, & inferior cũ Superiore.*

Luc. Ordo naturalis est, vt inter homines alij maiores sint, alij minores; sicut in cælis sunt Angeli, & sunt Archangeli, qui non sunt æquales, sed in potestate differt alter ab altero, c. ad hoc. 89. dist. vt autem minores maioribus seruiant, naturalis est ordo, c. ordo 33. quæst. 5. ita tamen, vt dum minores reuerentiam maioribus exhibent: maiores etiam minoribus dilectionem impendant, d. c. ad hoc, in princ. 89. dist. aliàs enim quisque posset conqueri de suo maiore, & dicere vna cum Domitio illo Oratore, Cur ego habeam te vt Principem, cum tu me non habeas, vt

Sena-

Senatorem? c. esto subiectus 95. dist. Non alia ratione instituta est inter homines maioritas, nisi ad magis conseruandam concordiam; ne aliàs vnusquisque ad libitum trahens, humanæ societatis nexum disrumperet. & ne, maioritas, & potestas tendat ad noxam, quicunque alijs præest, subiectis potiùs consulere debet, quàm dominari. atque ità curare, vt erga eos plus agat beneuolentia, quàm seueritas. plus cohortatio, quàm comminatio. plus charitas, quàm potestas, c. licet, il secondo, 45. dist.

Mau. Quæ sunt exempla priuatæ potestatis?

Luc. Priuatæ potestatis quatuor sunt exempla potiora; videlicet, Potestas domini in seruos; patris in filios; tutoris in pupillos; & mariti in vxorem. XVII. De potestate Domini in seruum.

Mau. Quid de primo exemplo dices?

Luc. Dominica potestas in seruum de iure gentium rigorosa erat, vitæ, necisque, §. 2. Instit. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. ea nempe ratione, quia hostilis animus durare videbatur. Capti in bello serui efficiuntur à seruando dicti, eò quòd Imperatores captiuos vendere iubent, & per hoc seruare, nec occidere solent. aliàs etiam mancipia dicuntur, quod manu caperentur ab hostibus. sed hæc dura, & immoderata potestas reducta fuit ad terminos humanitatis, ad moderatam, scilicet, serui emendationem, l. vnica, C. de emend. seru. & ad bonorum acquisitionem, vt quicquid per seruum acquiritur, domino acquiratur, l. acquiritur, ff. de acquir. rer. domin. adeò vt propter intolerabilem sæuitiam cogitur dominus seruum vendere, & precium recipere, l. 1. & 2. ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur.

 Sed

Sed hæc iura captiuitatis locum non habent inter Christianos, ex consuetudine diù obseruata: itavt capti in bello nec vendantur, nec serui habeantur: Bart. in l. hostes, in fin. ff. de captiu. & postliminio reuersis, & sanè non conueniret, vt inter filios à seruitute, gratia Dei, redemptos, essent, qui fratres suos seruos retinerent, c. cum redemptor 12. q. 2.

XVIII. De potestate Patris in filium, *Mau.* Est nè talis potestas parentum in filios?

Luc. Patria potestas etiam in filios olim erat absoluta, vitæ necisque, l. fin. C. de patr. potest. sed quia paterna potestas in sola pietate consistere debet, non in atrocitate, l. Diuus Adrianus, ff. ad l. Pomp. de parricid. ideò iura eam coarctarunt, vt non occidere possit pater filium, sed eum accusare ad Iudicem, l. inauditum, ff. ad l. Corneliam, de sicar. & parentibus, qui filios occiderunt, grauissimas, horribilesq. pœnas statuerunt, vt legitur in l. vn. C. de his, qui paren. vel fil. occid. excepto casu, si pater filiam in adulterio apprehensam occideret, vel in sua, vel generi sui domo. quia tunc iura non puniunt, secùs in aliena, l. quod ait lex, ff. ad l. Iul. de adult. prout etiam prohibent, ne parentes quouis titulo proprios filios distrahant; excepto casu extremæ paupertatis: ita tamen, non vt seruus fiat, sed emptor obtinendi eius seruitij facultatem habeat, l. 1. & 2. C. de patr. qui fil. distrax. itavt hodie patria potestas restricta sit ad decentem filiorum emendationem, & correctionem, l. vnic. C. de emend. propinq. & ad obseruantiam, & obsequium & venerationem, quam liberi parentibus debent, l. 4. C. de patr. potest. & etiam ad acquisitionem bonorum, quæ adijciuntur per filium, §. 1. Instit. per quas person.

ſon. nob. acquir. l. 2. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur. in tantum, vt ſi filius non poteſt ſtare cum patre propter eius ſæuitiam, poteſt patrem cogere, vt eum emancipet, Iaſ. in l. filijs, in fin. C. de inoff teſt. atque nec pater poteſt impedire liberum filij arbitrium in ducenda, vel non, vxore: & in ſuſcipiendo, vel non, habitu religioſo, l. nec filium, C. de nupt. ſac. Conc. Trid. anathemati ſubijcit parentes, qui filios inuitos cogunt ad ingrediendum monaſterium, ſeſſ. 25. c. 18. de regul. & ſi qui fortè filios, filiasve cogunt vel ad matrimonium, vel ad Religionem, triſtes ſentiunt euẽtus. coactiones enim difficiles ſolẽt exitus frequẽter habere, c. requiſiuit, de ſponſal. & vt ex ſententia Ariſt. ait Bald. in l. neque ab initio, C. de nuptijs, omne neceſſarium eſt triſte, quia fit cum anguſtia animi, & malus indè ſequitur exitus.

Mau. De tertio exemplo multa nè dicturus es?

Luc. Quoad tertium hoc tantùm dicam; naturali, ſcilicet, rationi conuenire, vt is, qui non eſt perfectæ ætatis, alterius tutela regatur, §. fin. Inſtit. de Attil. tutor, & ideò iure Ciuili introductam eſſe tutelam, quæ dicitur poteſtas, ſeù authoritas in capite libero, eius, ſcilicet, qui nec eſt in domini, neq. in patris poteſtate, & qui propter ætatem ſe defendere nequit, §. 1. Inſtit. de tutel. & conſiſtit in vita rectè, & commodè inſtituenda; & in rerum, ſeù patrimonij adminiſtratione, l. cum plures, §. fin. ff. de adminiſtr. tut. XIX. De poteſtate Tutoris in pupillum.

Mau. Hoc ſufficit. Cupio audire quæ dicturus es de quarto exemplo, ſcilicet, de maritali poteſtate.

Luc. Maritalis poteſtas, quam maritus habet in vxorem, eſt à Deo, qui poſt tranſgreſſionem dixit mu- XX. De poteſtate Mariti in vxorem.

lieri, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui, Genes. c. 3. & quia Adam deceptus est per Euam, non autem Eua per Adam, iustum fuit, vt eum gubernatorem assumeret; ne iterum fœminea facilitate laberetur, c. Adam per Euam 33. q. 5. At quoniam Deus mulierem fecit non ex capite hominis, ne domina videretur; neque ex pede, ne ancilla reputaretur: sed ex latere, vt collateralis, & socia haberetur, Host. in summa, tit. de matrim. Adam recognouit illam in sociam, & dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, Genes. c. 2. Ideò hæc maritalis potestas consistit in illo obsequio, & in illa seruitute, quam debet præstare minor maiori: non enim iustitiæ conuenit, vt maritus, qui est maior, seruiat vxori, quæ est minor, c. est ordo naturalis 33. q. 5. Immò cum sint duo in carne vna, mutua debet esse seruitus, mutuum obsequium, mutuus amor, mutua fides, mutua coniunctio animorum, & cordium. in cuius rei signum datur à sponso sponsæ in primis nuptijs anulus: isq. inseritur in quarto digito, ea ratione, quia, vt fertur, in eo vena quædam sanguinis peruenit vsque ad cor, c. fœminæ, 30. quæst. 5.

Hoc in primis ad Mariti potestatem pertinet, vt maritus virtute vincat, & exemplo regat vxorem, c. indignantur 32. q. 6. vtq. non exigat ab vxore, quod ipse non vult reddere vxori, c. non mœchaberis, 32. quæst. 6. Et, qualem vult vxorem inuenire, ità agat,

vt

vt eum vxor talem inueniat, c. si ducturi 32. q. 6. & hoc sibi animo proponat maritus, sola liberorũ causa,in matrimonio concessa esse opera: sed voluptates, quæ de meretricum amplexibus capiuntur, damnatas esse in vxore, c. liberorum 32. q. 4. Sciatq. nihil amplius licere marito, quàm liceat vxori; vtriusque enim seruitus pari ratione censetur, c. apud nos, eadem 32. q. 5.

Non licet vxori à marito recedere sine causa; & si est peruersus, eum patienter ferre debet, c. cum caput 33. quæst. 5. nec debet vxor propter infortunium mariti mutare affectum, l. 1. c. de repud. sed fieri debet particeps infortunij mariti, l. si cum dotem, §. si maritus, ff. solut. matrim.

Sic etiam prohibitum est marito sub pœna excommunicationis & amissionis dignitatis, citra culpam fornicationis, vxorem suam quacunque occasione dimittere. ideòq. maritus habens vxorem sterilem, deformem, cœcam, surdam, claudam, confectam languoribus & doloribus, illam omninò debet pro fide & societate sustinere, c. si vxorem 32. q. 5.

Hæc sunt, quæ maritus amare debet in vxore, & quæ inter coniuges amorem conseruant; pudor, probitas, fides, mores. qui verò matrimonia contrahunt sola commoti pulchritudine, sola ducti amplitudine dotis, vel patrimonij affluentia, illi mutant affectum, deficiunt in amore, dicit Iuuenal. Sat. 6.

Si verum excutias; facies, non vxor amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculiq; minores.
Collige sarcinulas dicit libertus, & exi,

Iam

Iam grauis es nobis.

Nubendum esse pari omnes docuerunt: & inter æquales semper conseruatur amor, & amicitia.

Illi autem, qui vel cupiditate, vel ambitione allecti, volunt habere vxorem potentiorem, & ditiorem, post paucos dies non vxorem, sed dominam agnoscere debent: non affinibus placere, sed Dominis coguntur inseruire. Deianira apud Ouid. ad suum sexum, transtulit prouerbiū nubendū esse pari dicens epist. 9.

Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuu nci:
Tam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor est, sed onus, species læsura ferentes,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Et Plautus in Asinaria, quæ, ex inæqualitate cōiugum, damna nascantur, breuiter ostendit dicens.

Hæc sunt atque alia multa in magnis dotibus,
Incommoditates, sumptusq. intolerabiles,
Nam quæ indotata est, ea est in potestate viri
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Non expedit marito erga vxorem malè se gerere, quia nil peius est irata muliere, iuxta illud Euripidis carmen.

Furore multo sæuit iratum mare
Prouiq. fluuij, & ignis acris impetus,
Inopia acerba, acerba alia quamplurima,
Sed nil ita acerbum, & noxium, vt mulier mala.

Hac ratione fertur antiquitus, quendam Laconem dixisse, quod vxorem duxerat perpusillam; quia ex malis conuenit eligere, quod minimum est. Quisque igitur studere debet, ne malam ducat vxorem: vel si bonā duxerit, ne malā efficiat; quia, vt dixit Hesiodus.

Sors

Sors potior muliere proba non obtigit vnquam
Vlla viro, contràq. mala, nil tetrius vsquam est.

Non eſt tanta hæc maritalis poteſtas, quantam fortè quidam præſumunt habere. non capit niſi mutuas operas, & mutua coniugum obſequia: ad vitam autem non ſe extendit. Hinc lex non permittit marito vxorem etiam in adulterio deprehenſam interficere; ſed quia difficillimum eſt, iuſtum dolorem temperare; ſi maritus adulteram tactus doloris impetu interfecerit, mitiùs eum punit, l. ſi adulterium, §. Imperatores, ff. ad l. Iul. de adulter. & quando vnus ex coniugibus ſæuit in alium, iure medio ſeparantur. vnde ait Imperator in l. conſenſu, C. de repud. ſicut ſine iuſta cauſa diſſolui matrimonia iuſto limite prohibemus: ita aduerſa neceſſitate preſſum, vel preſſam, quamuis infauſto, attamen neceſſario auxilio cupimus liberari. Lex Moſayca ob duritiam cordis Iudæorum permittebat repudium, dicitur Deut. c. 24. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua: ſed ius Ciuile non permittebat diuortium, & repudium, niſi ex legitimis cauſis. & quamuis legitimæ cauſæ plures ſint ſecundùm ius Digeſtorum, l. 2. & l. nullum diuortium, ff. de diuort. & repud., & ſecundùm Ius Codicis ſint paucæ, d. l. conſenſu, C. de repud. tamen ſecundùm ius Authenticorum pauciores ſunt, §. quia verò plurimas, in auth. vt lic. matri, vel auiæ. ſed iure Euangelico prohibitum eſt repudium, ſeù diuortium. cuius loco permittitur ſola ſeparatio thori, ſic dixit

Chri-

Christus in Euangelio. Dictum est autem quicunque dimiserit vxorem suam,det ei libellum repudij: Ego autem vobis dico, quicunque dimiserit vxorem suã, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchatur, Matth. c. 5. & in c. 19. ita legitur, Accesserunt Pharisæi ad Dominum tentantes eum, & dicentes, si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa. Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos; & dixit propter hanc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna? dicunt illi, Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? ait illis, quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic, & idem legitur Marc. c. 10. & ius Canonicum vltra casum fornicationis, permittit thori separationem, propter nimiam sæuitiam, in casu, scilicet, quo non possit prouideri per sufficientem cautionem, quod illi non debeat aliquod malum inferri, c. ex transmissa, & c. literas, in fin. de rest. spol.

Mau. Quæ dixisti de potestate maritali, si homines benè intelligerent, profectò non audirentur quotidiè tot iurgia inter coniuges.

Luc. Inter eos, qui hæc non ignorant, pax est, & tranquillitas. at quoniã hodie dictum est satis de potestate seculari, reliqua de Ecclesiastica absoluam in sequenti.

Mau. Expedit ne tu dicendo, & ego audiendo nimis vna die grauaremur.

QVIN-

QVINTVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Mau. E Ecclesiastica potestate quæ dicere statuisti pro mea vtilitate in his studiorum meorum initijs?

Luc. Tu verò pro quali quali tua intelligentia quæ scire cupis de hac potestate?

Mau. Accessi, vt docear, non vt disputem: docere igitur tuum est.

Luc. Amplissima materia est hæc: conuenit ergò, vt aliqua præcipua, & iucunda dicamus, abstinentes ab ijs, quæ difficiliora sunt, & quæ, sine disputatione, tangi non possunt.

Mau. Attentus sum.

Luc. Potestas Ecclesiastica non prouenit ex publico, sicut sæcularis; sed à Christo, Bald. in l. Imperium, nu.4. ff. de iurisd. omn. Iud. Christus antè passionem promisit Petro hanc potestatem dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. post passionem autem eidem eam tradidit, & dixit, Pasce oues meas; c. in nouo testamento, & ibi glos. in verb. Tu es Petrus, 21. distinct. hanc potestatem concessit Christus Petro, qui timuit vocem Ancillæ, & negauit se ipsum, & Magistrum; quia monere voluit, vt qui pastor suæ Ecclesiæ futurus erat, disceret ex culpa propria qualiter alijs deberet misereri: & ex propria infirmitate cognosceret qualiter toleranda esset aliorum infirmitas,

I. De Ecclesiastica potestate, & qualiter sit exercenda.

mitas, c. considerandum, 50. distinctione.

Mau. Exercenda est ergò hæc potestas sola misericordia, absque rigore?

Luc. Samaritanus, vt legitur Lucæ cap. 10. duxit vulneratum in stabulo, & pro eius medela adhibuit vinũ, & oleum, vt scilicet per vinum mundarentur putrida, & per oleum fouerentur sananda. quo exemplo docentur illi, qui hanc potestatem assequuntur; vt misceant lenitatem cum quadam seueritate: ita scilicet, vt ex vtraq. fiat temperamentum, ne scilicet subditi multa asperitate exulcerentur, neque soluantur nimia benignitate. si in arca Tabernaculi erat virga, & mãna, conuenit vt in Ecclesia Dei sit virga districtionis, & manna dulcedinis: sit amor nõ emolliens, sit rigor non exasperans: sit zelus non immoderatè sæuiens, sit pietas non plusquam expediat parcens, d. c. considerandum, 50. dist. dicebat Apost. ad Corinth. 1. c. 9. Factus sum infirmus infirmis, vt infirmos lucrifacerem. vndè quisque intelligere potest, melius esse cum humilitate, & mansuetudine eruere peccantes ab erroris laqueo, quàm eos, rigore indiscreto, impellere in foueam perditionis, c. accedere, 45. dist.

Mau. Nonnè ergò sunt acriter reprehendendi peccantes?

Luc. Iusta quidẽ indignatio est contra peccantes: sed vera iustitia compassionẽ habet; falsa verò, dedignationem. & aliud est quod agitur typo superbiæ; aliud verò quod zelo disciplinæ. & propterea valdè damnandi sunt illi, qui de falsa iustitia superbire solent; qui cæteros despiciunt, qui alienis infirmitatibus, nulla prorsus misericordia, condescendunt. qui cum non

credant

credant se peccatores, eo deteriùs peccatores fiunt, c. vera iustitia. 45. distinct. Verba hæc, quę solent versari in ore hypocritarum, recedite, abite, nolite nos tangere, non illuminant cęcum, non sanant ægrotũ; occidunt profectò, & in disperationem mittunt miserum periclitantem. Tandem ita se gerere debent habentes hanc potestatem, ne subditi iustè doleant eorũ conditionem. & si qui fortè sunt, qui hanc potestatem ęgrę ferant, illi censendi sint & excusandi, tanquam phrenetici, & lethargici, qui nolunt ligari, nolũt excitari. sed perseuerat diligentia charitatis phreneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare. ambo offenduntur, sed ambo diliguntur. ambo molestati, quandiù ægri sunt, indignantur: sed ambo sanati gratulantur, c. quod faciet. 23. q. 4.

Mau. Qui igitur præsunt, exercere debent hanc potestatem charitate, & pietate: & qui subijciuntur, oportet, vt cum humilitate pareant, & patiantur moneri, & & corrigi.

Luc. Rem percepisti. Ecclesia est collectio, & multitudo fidelium, fide & charitate vnita, c. Ecclesia, de consecrat. dist. 1. Diuersi sunt status, diuersi ordines, gradus diuersi, officia diuersa, diuersæ dignitates. Quoad statum, sunt laici, & clerici, c. duo sunt genera, 12. q. 1. Ex laicis, alij sunt coniugati, alij virgines, alij vidui: Ex clericis, alij sæculares, alij regulares. Ex regularibus, anachoritæ, cœnobitæ, eremitæ, monachi, canonici, mendicantes; Ioannes de Selua de benef. p. 1. q. 4. in princ. quoad ordines; sunt Psalmistę, Ostiarij, Lectores, Exorcistę, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Quo verò ad gradus, & officia, II. De Ecclesia, & diuerso personarum statu.

&

& dignitates, sunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales, quorum vnus est caput, Papa scilicet, c. cleros,& clericos, 21. dist. In corpore humano diuersa sunt membra, quorum etiam diuersi sunt actus; & nullum se immiscet in officio alterius, nisi in adiutorium. contentatur vnumquodq. de suo, & lætatur de alterius bono. ea quæ sunt excellentiora, vt caput, & oculi, minimè contemnunt inferiora, velut manus, pedes, & alia: sed ea, tanquam eorum actibus necessaria, libentissimè recognoscunt. Ecclesia est velut corpus, diuersi sunt fidelium status, diuersa officia. Conferunt laici bona temporalia, decimas soluunt, dotant Ecclesias, eleemosynas elargiuntur, relinquunt legata, donant, benefaciunt: Ecclesiastici verò conferunt bona spiritualia, orationes effundunt, diuina celebrant, ministrant sacramenta, insistunt cultui diuino. Quilibet ergò suo statu, suo officio, sua dignitate debet contentus esse; & gaudere de bono alterius, ita vt qui est in superiori gradu, inferiores minimè despiciat, & qui inferiores sunt, superiorem minimè contemnant. At quoniã in corpore humano mali sunt humores, haud mirum videri debet, si in Ecclesia Dei aliqui sint mali: sunt mixta grana cum paleis, c. est vnitas, de consecrat. dist. 4. Non concessit Saluator noster Apostolis, vt zizania separarent à fruměto, c. quantus, 23. q. 4. Ideò monuit tolerandos esse malos, ne Ecclesiæ corpus diuideretur, c. quid ergò, 23. q. 4. immò voluit tolerandos esse malos, vt boni exerceantur, quia renuit Abel esse, quem Cain malitia nõ exercet, c. hæc autem, 23. q. 4.

Mau.

Man. Diuersi sunt fidelium status, diuersa sunt orbis loca, & diuersæ regiones, Ecclesia ergò vna est, an verò sunt plures?

Luc. Sancta Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia primatum obtinet, fundata à Christo super petrã, quam Petrus Apostolorũ Princeps, & Paulus vas electionis gloriosa eorum morte Christo consecrarunt, suaq. præsentia, & venerando triumpho omnibus Vrbibus vniuersi mundi prætulerunt, 22. dist. c. 1. & 2. Hæc est illa, quæ non habet maculam, neque rugam, c. quamuis, 21. dist. Hæc est caput cæterarum, sicut primus omnium fuit Petrus Apostolus, c. dudum, 3. q. 6. Qui deniq. sunt extra hanc vnam sanctam, Catholicam, vniuersalem, & Apostolicam Ecclesiam, extra nauiculam Petri, necesse est, vt pereant, c. 1. §. 1. de Sum. Trinit. & fid. Cath. sicut perierunt omnes, qui remanserũt extra arcam Noe, quam diluuij aqua ad sublimiora extulit, omnes autem, quos extra inuenit, protinus extinxit. Non possunt habere Deum Patrem, qui Ecclesiam Matrem non habent, c. alienus, 24. q. 1. Non possunt ingredi ianuam cælestis regni, qui se ipsos à societate Petri segregarunt, c. quicunq. 24. q. 1. Si in Ecclesia hæc ministrantur sacramenta, vtiq. salutem operantur: extra eam nihil prosunt. Quatuor Paradisi flumina, quæ in eo felicitatem vitæ operabantur, extra illum, in terris per quas fluunt, nihil efficiunt, c. Ecclesia Paradiso, de consecrat. dist. 4. Antiochena Sedes prima quidẽ fuit tempore, & Romana prima est auctoritate, & dignitate, c. rogamus, 24. q. 1. ab hac non licet recedere, sicut membra non recedunt à capite, c. 1. 12. dist. Hæc proposita est

III. De Ecclesia Romana.

omnibus in ſpeculum, & exemplum, c. enim verò, 19. diſt. Hæc habet plenitudinem poteſtatis, aliæ verò vocatæ ſunt in partem ſolicitudinis, c. multum, 3. q. 6. Hanc fundauit Petrus; reliquas verò Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales inſtituit Romana Eccleſia, c. 1. 22. diſt. & quicquid ſeruat Romana Eccleſia, ab omnibus ſeruari debet, c. quis neſciat, 11. diſtinct.

Mau. Ergò Romanus Pontifex caput eſt Eccleſiæ.

IV. De Romano Pontifice.

Luc. Indubitata concluſio eſt. Caput Eccleſiæ eſt Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius, Succeſſor Petri, l. nos reddentes, C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. Dignum fuit, vt feliciſsima Roma, quæ legum originem, & ſæculare imperium ſortita fuit, ſummi etiam Pontificatus apicem, & Eccleſiaſticum imperium ſortiretur, §. 1. Auth. vt Eccleſia Rom. cent. ann. gaud. præſcript. Hic eſt ſummus Paſtor, ſanctus Pater, qui aut Sanctus eligitur, aut ex promotione fit Clarus. aut enim Deus ad hæc faſtigia erigit claros, aut eos, qui eriguntur, illuſtrat, c. non nos, 40. diſt. Hunc Beatiſſimum Patrem omnes humilimè, reuerentur, deuotiſſimè oſculantur eius pedes, gloſ. in l. 1. C. de domeſt. & protect. lib. 12. de eo nemo poteſt iudicare, etſi enim hominum cauſas Deus voluit per homines cognoſci: attamen ſui Vicarij cauſas, ſine vlla quæſtione, ſuo reſeruauit arbitrio, c. aliorum, 9. q. 3. Hic eſt ſtupor mundi, quaſi nec Deus ſit, nec homo: ſed neuter ſit inter vtrumq. vt dicebat quidam Anglicus Poeta, prout refert gloſ. in proœm. Clementin. in verbo, Papa. Tantæ admirationis ratione putant nonnulli, Romanum Pontificem appellatum fuiſſe Papá; quaſi

quasi homines tantam in homine sanctitatē dignitatemq. admirantes,quodammodo dicerent inter se, Papæ Papæ quid videmus? est enim Papę Græca vox, & interiectio admirantis, iuxta dictum Terentij in Eunucho,Papæ hęc superat ipsam Thaidem.Hinc est vt statim electus Papa mutat sibi propriũ nomen, tāquam nō amplius sit purus homo;sed Dei vicesgerat, & fiat pater patrum:qua ratione,vt putant aliqui,cum anteà duplici verbo abbreuiato pa. pa. idest pater patrum inscriberetur, posteà vulgus corruptè duo verba coniungēs,vnum formauit Papa. & si autem Papa assumat aliud nomē,proprium autē non omninò reijcit; & quando propria manu signat Commissiones gratiosas ponit primam syllabam sui prioris nominis, quod vsu receptum ferunt, ne pontificale nomen tàm venerabile in vili Cedula descriptum reperiretur, vt refert Gambar. de offic. & potest. leg. lib. 8. n. 208. Constantinus Magnus tantam Pontificis dignitatem, gratia Dei, condocefactus, fideliter agnouit, deuotè exaltauit, piè insigniuit. Statuit, vt sacedotes in toto orbe Romano ita Romanum Pontificem caput habeant,sicut Iudices Regem: & Pontifex,qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & Princeps cùnctis sacerdotibus totius mundi existat; & quæcunque ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, eius iudicio disponantur. Iussit Romanam Ecclesiam veneranter honorari, & ampliùs,quàm imperium proprium,& terrenum Thronum, Sedem sacratissimam Petri gloriosè exaltari. Tradidit Beato Siluestro, & eius Successoribus in sede B. Petri vsque in finem

mundi sessuris, coronam sui capitis, mitram, tunicam coccineam, aliaq. imperalia indumenta, sceptra, & ornamenta, omnem denique imperialis suæ potestatis gloriam. Reliquit Beato Siluestro Romanam Vrbem, & Prouincias Italię, ne Pontificalis apex vilesceret: sed magis, quàm terreni imperij dignitas, gloriosa potentia decoraretur. Transtulit suum imperium in regionibus Orientalibus, in Bisantiæ loco, in Ciuitate Constantinopolis suo nomine ædificata: ne illic terrenus Imperator potestatem haberet, vbi principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, c. Constantinus, 96. distinct. Roma, vt ait S. Leo serm. 1. in nat. Apostol. effecta est ciuitas Sacerdotalis, & Regia, & caput totius Orbis, per sedem Petri; vt latiùs præsideret religione diuina, quàm dominatione terrena. & minus est, quod ei bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. & Poeta ille in illo distichon relato per glos. in c. quoties, 1. q. 7. in verb. per te, nihil aliud debuit intelligere dicens:

Seruierant tibi Roma priùs Domini Dominorum,
Seruorum serui nunc tibi sunt Domini.

Quandoquidem suprema est Papalis dignitas, eàq. nulla est maior, nullaq. excelsior. & non geritur fastu dominandi, sed sola ministrandi humilitate, c. nullus primas, 9. q. 3. ideòq. Papa se nominat Seruum Seruorum Dei, glos. in procem. decretal. in princ. Sic Magister dixit, se non venisse ministrari, sed ministrare, Matthæi c. 20. & c. 23. iussit, Qui maior est vestrum, erit minister vester.

Man. Voluit fortè Poeta ille deplorare gloriam Vrbis diminutam.

Luc.

Si id voluit, errauit. Magna quidem fuit gloria felicissimæ Ciuitatis Romæ, quòd eius Imperio, Domini & Reges subiacerent, sed longè maior est; quòd ipsa Seruo Seruorum Dei subiaceat, eiusq. mansuetudine, & charitate regatur. Magna fuit Romanorũ laus tot tantosq. populos Romano subiecisse Imperio; sed longè maior est Romanorum Pontificum laus, tot tantorumq. populorum animos Ecclesiæ Romanæ supposuisse. Roma quæ gloriabatur de terreno Imperio, gloriatur de cælesti: quæ caput erat superstitionis, caput est sanctitatis. quæ magistra erat erroris, magistra est veritatis: quæ celebris erat aucta triumphis, & trophęis, celebrior est consecrata Apostolorum martyrio, Martyrum sanguine. Veniebant Romam gentes ex longinquis regionibus, Capitolium ascendebãt, soluebant tributa: veniunt Romam christicolæ ex remotissimis partibus, visitant limina Apostolorũ, Martyrũ cęmeteria, vota persoluunt: Coactus erat gentiũ accessus, aut enim ducebantur triumpho, aut tributo pacto compellebantur: lubens est accessus Christianorũ, atque ita semper frequens fuit, vt nullo vnquã casu, nulloq; obstaculo potuerit impediri. Cura Imperij nõ detinuit Carolum Magnum, Vitalianum, Honorium, Othonem, aliosq. Imperatores, quin sacræ Vrbis ædes religiosè visitauerint. Regales cõmoditates, solicitudines dominiorum nequaquam impediuerunt plures Reges, Duces, Principes, quin Romam petiuerint deuota peregrinatione.

V. Antiqua Vrbis gloria, an hodie sit diminuta.

Instituerat Bonifacius VIII. Annum sanctum plenissimæ indulgentiæ, celebrãdum quolibet anno centesimo secuturo, vt ad Basilicas Apostolorũ accedẽtes,

VI. De Anno sãcto, & accessu fideliũ ad Vrbẽ, & de gestis S.D.N. Vrbani VIII.

plenißimam omnium peccatorũ remißionem conse-
querentur, c. 1. de pœnit. & remiss. in extrauag. com.
at aucta fidelium pietas, accensa fidelium religio san-
ctam peregrinationem tàm longo tempore differre
recusans, obtinuit ad quinquagesimum per Clemen-
tem VI. mox ad 25. annũ per eius Successores, reduci,
c. 2. & 4. eod. tit. de pœnit. & remiss. quem Annum
sanctum plenißimæ indulgẽtiæ, & remißionis pecca-
torum appellarunt Annum Iubilei, exemplo sumpto
à lege Moysis, cui dixit Dominus in Leuit. c. 25. Nu-
merabis tibi septẽ hebdomadas annorũ; idest septies
septem, quę simul faciunt annos quadraginta nouem:
& clanges buccina mense septimo, decima die mẽsis,
propitiationis tẽpore in vniuersa terra vestra. sanctifi-
cabisq. annum quinquagesimum, & vocabis remißio-
nẽ cunctis habitatoribus terrę tuę: ipse est enim Iubi-
leus. reuertetur homo ad possessionẽ suã, & vnusquisq.
rediet ad familiã pristinã: quia Iubileus est quinqua-
gesimus annus. Optimũ sanè exẽplum est. immò plus
est, quòd Christianis remittãtur peccata, & vnusquisq.
ex eis redeat ad primęuam innocentiam, ad pristinã
Dei familiã, quam quod Hebręis dimitterẽtur debita,
& vnusquisq. ex illis rediret ad primęuam prædiorũ,
domorumq. alienatarũ possessionẽ: atque quod ex ca-
ptiuis & seruis Hebræorum ad pristinã familiã vnus-
quisq. restitueretur. Celebrationi huius anni, peregri-
norũ deuotioni, deuotorum accessui ad Vrbem nulla
vnquam obstitit temporis calamitas: non bellũ, non
fames, non pestis. Bella erant in tota Italia tẽpore Bo-
nifacij VIII. de anno 1300. inter Siculos Aragonensiũ
fautores, & Ducem Calabriæ. Contendebãt Ianuenses
cum

cum Pisanis, & tamen multitudo fidelium ad Vrbem peruenit. Anno 1350. Clemens VI. Romæ non erat, Romæ status cõfusus erat, Romanus Populus tumultuabat. exorta est pestis: nõ defuit tamen infinitus aduenarum,& deuotorũ numerus ad Annum sanctum, mediante Legato misso à Pontifice absente Romæ indictum. Tempore Bonifacij IX. etsi bella in Italia gererentur,& Populus Romanus erga Pontificẽ nõ benè se gereret; tamen celebratus fuit Iubileus cũ magno populorũ concursu.&, vt omittam alios casus,qui acciderunt tẽporibus Nicolai V. de anno 1450. Sixti IV. de anno 1475. Alexandri VI. de anno 1500. Clementis VII. de anno 1525. Iulij III. de anno 1550. Gregorij XIII. de anno 1575. Clementis VIII. de anno 1600. quibus Italia bello non caruit, optimè scimus anno proximè præterito 1625. luem Siculam, Allobrogum, & Ligurum contentiones, Vallis tellinæ aggressiones, commotos Hispanorũ exercitus, defectiones Gallorum, Germanorũ bella nequaquam impediuisse sancti Iubilei solemnitatem, deuotorũ ad Vrbem concursum quam maximum. Conuenerunt infiniti exteri, tàm ex finitimis quàm ex remotis regionibus: tàm nobiles, quàm ignobiles: infinitæ Sodalitates: quamplures Prælati: Magnates plures. vidimus inter alios primogenitũ Poloniæ Regis: vidimus germanũ Imperatoris; vtrumq. magna nobilitate comitatum, exceptum vtrumq. summo cum honore.

Mau. Quotidiè videmus plures, qui Romam veniunt, statim accedere ad ruinas antiquæ Vrbis: ijsq. circũspectis, quam maximè dolere extinctum splendorem.

Luc. Romã quidẽ diù iacuit orbata primæuo decore:

At nostra ætate exultat penè restituta ad primæuã formam. aucta est quamplurimis templis, quamplurimis ędificijs tàm publicis, quàm priuatis, ijsq. omnibus mirabiliter cõstructis, & sumptuosè exornatis. Vnũ, quod deerat ad tutelã tanti decoris, ad conseruationẽ tanti ornamenti, gloriosè perficitur hoc tempore, hoc felici Apum Mellificantium regno, VRBANO Imperio, quo fideles omnes, omnes Principes sectantur suauissimum Ducẽ, eumq. sola virtute & exẽplo, quasi dimisso aculeo, imperantẽ, metuunt quidem; sed magis, magisq. amant. adduntur noua propugnacula, noui aggeres, noua arma: vndè lætatur populus Romanus, gratulatur vniuersa plebs Dei, quòd tandem sublimi Põtificis ingenio, eximiaq. prudentia ita actum sit, vt venerãda Ciuitas, aliarũ Princeps, non amplius conspiciatur exposita iniurijs barbarorum, hostiumq. insidijs, cupiditatibus latronum.

Mau. Nemo est, qui hęc videns, audiensvè, admiratione non commoueatur.

Luc. Nemo est, qui non laudet Pontificis prouidentiã, qui Pastori vigilantissimo non optet Nestoreos annos, cui Nestorea oratio, Nestoreaq. prudentia non desunt.

Mau. Intellexi adhuc qua pietate exercenda sit Ecclesiastica potestas: percepi cõueniens esse, vt in Ecclesia Dei sint diuersi fideliũ status, prout diuersa sunt mẽbra in corpore: confitemur omnes Romanam Ecclesiam inter cæteras primatum obtinere; agnoscimus omnes Romanum Pontificem caput Ecclesiæ; At in quo cõsistat hæc potestas pascẽdi oues, ligandiq. & soluẽdi, si tibi placet breuiter dicere, libentissimè audiã.

VII. De clauibus & cur imago

Luc. Hoc figurato sermone, Dabo tibi claues regni ce-

lo-

Iesu, & quodcunq; ligaueris, &c. Pasce oues meas, &c. expressit. Christus Dominus noster quam potestatē tradiderit Petro, & successoribus: quandoq; idē hoc pertinet ad Pastorē respectu vniuersi gregis, ut uigilā ne pereat, ne inficiatur, sed pascat, crescat, non vagetur, nō dispergatur: respectu verò singularū ouiū, cauere debet, ne morbida facta alias corrūpat, ne vna ab alijs secedat. debet ouilis ostiū claudere, & aperire. & quascūque morbidas, & infectas inuenerit, reijcere: & tunc, quādo eas purgatas nouerit, recipere. In lege veteri cū dubitabatur, an quis esset infectus lepra, dubitabatur ad Sacerdotes; qui secundum eorū iudicium vel reijciebatur, vel recipiebatur, glos. fin. in §. 1. dist. 20. nō poterāt tamen Sacerdos cū leprosum facere, qui mundus erat; sed suum erat cognoscere, & dijudicare, an esset mūdus vel leprosus, c. Sacerdos, 11. q. 3. Ad hāc igitur potestatē, quia pertinet cura gregis, necesse est, vt qui illā gerit, sciat discernere inter lepram & lepram, inter peccatum & peccatū, quò possit claudere & aperire, ligare & soluere, recipere & deijcere, ne aliàs si cæcus cæco duchtum præstaret, ambo in foueam caderent, Matt. c. 15. & cura sit ars, de ætat. & qualit. Cōmuniter indicunt, duas esse claues, vnam scientiæ, alterā potestatis, Io. Andr. in c. 1. de Sum. Trinit. & fid. Cathol. in 6. Sunt tamen alij, qui existimant, vnam esse clauem, scilicet, potestatis ligandi & soluendi, sed ad eius exercitium dicunt necessariam esse scientiam, gloss. in Sum. in verb. dedit, 20. dist. At quoniā æquū esse debet tam respectu singulorum, vt quisque ad finē supernaturalem æternæ beatitudinis dirigatur, quàm respectu vniuersorum, vt Respublica, & vniuersitas Christiana conseruetur,

S. Pauli ponatur ad dexteram, & Petri ad sinistrā.

uetur,& non offendatur: ideò dicunt alij,duas esse claues,vnam fori Pœnitentiarij,alterã Iudicialis, Henric. Boich.in c.tanta est clauis,de excess.Prælat.n.2.In foro cõtentioso,clauditur Ecclesia per excõmunicationem, aperitur autem per absolutionẽ: at in foro voluntario Sacerdos claudit,& aperit, quãdo examinata hominis conscientia indicat ei cælum clausum, vel apertum, quãdo aliquam partem pęnę peccato debitam remittit, & pœnitentiam iniungit, & absoluit, Summa Angelic, in verb. claues, num. 2.

Mau. Hæc potestas ligandi, & pascendi commissa fuit Petro: at quid commissum fuit Paulo?

Luc. Vni cõmissa est potestas,& alteri data est sciẽtia: vni, tanquam bono dispensatori, cõmissæ sunt claues regni cælorũ: alteri,tãquam idoneo Doctori,iniunctũ est magisteriũ Ecclesiasticæ eruditionis. vt ita isti essent religionis exordium,genitores populi Christi,Pastores gregis Domini, lucernæ fidei, & columnæ Ecclesiæ, c.2.vers.quod felic. record.de pœnit.& remiss. in extrauag. com.

Mau. Si Petro potestas, & Paulo sciętia data est, ergò Petrus maior fuit: & nihilominus in Bullis Papalibus imago Pauli ad dexteram ponitur, Petri verò ad sinistram. vnde hoc?

Luc. Certum est Petrum fuisse maiorem: ei enim soli fuit data potestas. & pro ratione huius consuetudinis dicũt Doctores sinistrã denotare tẽpus mortis Christi: dexterã autem tẽpus immortalitatis.& ideò Petrũ poni ad sinistrã,quia venit ad Christũ antè pasioneẽ:Paulum verò ad dexterã,quia venit post resurrectionem, Dec.in c.translato, 2. lectur.n.20.de const.Io.de Selua

de

de benef.p.1.q.5.n.77. Ego verò dicerē id fieri,vt Ecclesiastici discant priùs quęrendam esse scientiā,quàm potestatem,& adducerem tex.in 2.Paralip.c.1.vbi Salomon antè Altare cum dixisset ei Deus: Postula quod vis,vt dem tibi: dixit da mihi sapiētiā,& intelligentiā. cui Deus respondit:Quia nō postulasti diuitias,& substātiam,& gloriam,neque animas eorū qui te oderāt, neque dies vitæ plurimos: petijsti autē sapientiam, & & scientiam,vt iudicare posses populum meum,super quem constitui te Regē.Sapientia,& scientia data sunt tibi: diuitias autem,& substantiam, & gloriam dabo tibi,ita vt nullus in Regibus, nec antè te, nec post te fuerit similis tui.

Mau. Non pauci sunt, qui sola potestate cōtenti essent, abiecta scientia.

Luc. Isti nihil agunt; exigitur scientia: audi. Potestas Ecclesiastica est penès Papā, qui eā inferioribus dignitatibus cōmunicat: non tamen omnē, neque singulis æqualem. vndè remanet ipse velut Sol,cæteri verò velut radij, c.loquitur, 24. q. 1. Ipse est velut dominus messis,cæteri velut operarij,c.in nouo testamento,21. dist. Apostoli astiterunt Christo antè pasionē, & tunc omnes erant æquales. Pasione subsecuta,inter eos Petrus extitit Princeps,cęteri trāsmisi sunt per Orbem, d.c.in nouo testamēto,& ibi glos.21.dist. Hoc exēplo Summi Pontifices,quasi loco Apostolorū Christo asisistentium,constituerunt sibi Asistentes, Consiliarios, Collaterales,qui tēpore B. Siluestri Cardinales appellati fuerunt,c.Præsul,2.q.4.tanquam Cardines,quibus regitur ostium, & quorum cōsilio vniuersalis regitur Ecclesia,glos. in c.2.de offic.Archipresb. in verb.Cardinalium. Qui Cardinales tametsi per Papā creentur,

VIII. De Cardinalibus. & eorum dignitate,& creatione.

non

non tamen creantur nisi secundùm cor,& animā Dei. Legitur 1.Reg.cap.2. Dominus pauperē facit & ditat, humiliat & subleuat. suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperē: vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. & ibidem in fine leguntur hęc verba: Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domū fidelem, & ambulabit cū Christo meo cunctis diebus. Quę verba optimè indicant Summi Pōtificis, Christi Vicarij gesta diuinæ menti cōuenire, & factas ab eo Purpuratorū Præsulum electiones diuino iudicio procedere. Quando Moyses, vt legitur Num.c.11.exposuit Deo, se nō valere vlterius vniuersi populi pondus sustinere, respondit Deus: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, &c. & loquar tibi: & auferā de spiritu tuo, tradāq; eis, vt sustentent tecū onus populi, & nō tu solus graueris. & ita Moyses cōgregauit septuagintā viros de senibus Israel, & Dominus descendit per nubē, & loquutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. & huc respexit Sixtus V. qui sua Cōstitutione quinquaginta Cardinalium numerū ad septuaginta restrinxit, & definiuit. Hoc Moysis exemplo Papa assumit sibi in Cōsiliarios, & Coadiutores eos tātum, quos cognoscit, & de quorū fide, & probitate cōfidit. & nihil refert si assūpti processerint ignotis parentibus, vel humili loco: dum eorum qualitates assumenti non obscuræ sint, non ignoti sint eorum mores. Nihil refert, si ad hanc dignitatem non assumantur, qui nobilitate sunt celebres: quandoquidem Petrus est qui assumitur; Apostoli sunt, qui mittuntur:

non tuntur:

tuntur. & in Ecclesia Dei successor quæritur Petro, & quæruntur successores Apostolis, non Cæsari, non Proceribus, facit text. in c.quoniam vetusto, 24. q. 1. ibi, cum successore piscatoris, & discipulo Crucis. & ibi gloss.in verb.inuidia. refert, quòd cũ duo certarent de electione, & vnus allegaret ignobilitatem alterius; alter ex aduerso respondit, piscatori Petro, Fabri filio successorem quærimus non Augusto. nihil refert si originis nobilitate careant illi, quos propria virtus ad honores extollit. Cicero contra Salustium dicebat, sanctius est me meis gestis florere, quàm maiorum opinione niti: & ita viuere, vt sim posteritati meę nobilitatis initium.

Nerua Cocceius Imperator, vt legitur apud Dionẽ, ob senectam ætatẽ Marcum Vlpium Traianum adoptauit, & in Curia Cæsarem designauit, cum quo nulla intercedebat cognatio: immò verò propinquos, & cognatos quamplurimos habebat; publicæ tamen vtilitati, atque saluti societatem sanguinis postposuit. neque eo deterritus, quod Traianus genere Hispanus, aut ex Italia oriundus non esset: quòdq. antè eum peregrinus, & alienigena Romanum Imperium non tenuisset: virtutem hominis non genus, aut patriam spectari oportere existimauit.

Loco Apostolorũ, qui post passionem Christi missi fuerunt per Orbem, constituti sunt Episcopi, c.quorũ vices, 68. dist. in partem, scilicet, solicitudinis Papæ, non autem in plenitudinẽ potestatis, c. decreto, cum seq. 2. q. 6. quorum tripartitus est ordo. alij sunt Patriarchæ, Archiepiscopi alij, alij Episcopi. sicut quatuor sunt mundi partes, & quatuor fuerunt Euange- IX. De Episcop's & corũ institutione.

listæ:

lillæ: ita quatuor sunt Patriarchæ, idest Principatus, nempè, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenus. & sicut multæ sunt orbis Prouinciæ, ita multi sunt Archiepiscopi, velut primi, & principes omnium Episcoporum vnius Prouincię. tandem sicut plures sunt Ciuitates, ita plures sunt Episcopi singulis Ciuitatibus præsidentes. quæ institutio, & nuncupatio Prælatorum Ecclesiasticorum traxit exemplum à Gentilibus, apud quos cum non valerent omnes, nec cuilibet permissum esset, siuè ob loci distantiam, siuè ob causæ tenuitatem, ad Imperatoris, Regisvè aulam confugere pro iustitia consequēda, & oppresione quacunque repellenda: ideò in Prouincijs, & Ciuitatibus fuerunt constituti diuersi Magistratus, quorum alij toti Prouinciç, & alijs singulis Ciuitatibus prçessent, c. 1. dist. 99. sic etiam destinati erant Sacerdotes, quorum alij Protoflamines, alij Archiflamines, & alij Flamines appellabantur, §. 1. 21. dist. & c. 2. dist. 80. Flamines dicebantur à filo, quo vtebantur, quasi filamines: habebant enim in capite pileum, in quo erat breuis virga, qua arcebant aues à carnibus sacrificiorum, desuper habens lanæ aliquid: sed quia propter æstum ferre non possent pileum, filo tantum capita religare cœperunt: eos enim fas non erat incedere nudo penitùs capite, c. cleros, circa med. vers. Sacerdos autem, 21. dist. & ibi glos. in verb. virga. Ita ergò ad eorum instar sunt constituti Episcopi in partibus mundi, in Prouincijs, in Ciuitatibus: distinctiq. sunt eorum ordines, c. 1. cum duob. seqq. 80. dist. & quamuis sint aliqui, qui appellantur Primates, & Metropolitani: tamen hæc duo nomina non faciunt

gradus

gradus distinctos: nam Patriarchæ, & Primates vnam formam tenent, licèt sint diuersa nomina, c. 1. dist. 99. Immò sunt etiam quidam Archiepiscopi, qui Primates appellantur, vt refert Pauin. de offic. & potestate Capituli sede vacante, prælud. 6. vers. sunt etiam primates, nu. 13. & Metropolitani nomen idem est cum nomine Archiepiscopi, §. 1. 21. dist. dicti autem sunt Episcopi, quasi superintendentes, seù curam gerentes subditorum, & quasi speculatores, eo quod speculari, & perspicere debeant populorum infra se positorum mores, & vitam. qua significatione Episcopi etiam dicebantur, qui præerant pani, & cæteris venalibus rebus, quæ Ciuitatum populis necessariæ sunt, l. munerum ciuilium, §. item Episcopi, ff. de muner. & honor. vndè Cic. ad Atticum, lib. 7. epist. 10. ait, vult enim me Pompeius esse quem tota hæc campania, & maritima ora habeat episcopum, ad quem delectus, & negocij summa referatur. dicti etiam sunt Pontifices, quasi sint via sequentium, d. c. cleros, vers. Pontifex. Sunt etiam propriè dicti Pastores, quia custodes esse debent gregis Domini. quocirca aduersus Episcopos negligentes, & prauos exclamat Deus in Ezec. c. 34. Vos lac comedebatis, & lanis cooperiebamini. & quid crassum erat occidebatis; gregem autem meū non pascebatis. & paulò infra, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.

Mau. Vis mihi dicere aliqua de actibus huius potestatis?

Luc. Actus Ecclesiasticæ potestatis, vel spectant ad Ordinem, provt clericos ordinare, Chrisma conficere, Clericos deponere, benedicere Virgines, Consecrare

crare Ecclesias, & altaria, & similia. vel ad iurisdictionem, prout iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta recipere, beneficia conferre, & similia. & isti actus iurisdictionales possunt exerceri statim post electioné. qui verò sunt Ordinis, nónisi post cõsecrationem, gloss. in c. transmissam, in verb. de talibus, de elect. gloss. 1. in c. quia periculosum, de sentent. excommunicat. lib. 6. & tex. est in c. quamuis, 68. dist. & quia, vt sæpiùs dictum est, Papa non communicauit inferioribus omnem potestatem: ideò multa sunt, quæ solus Papa facere potest, Leges scilicet vniuersales condere, contra ius dispensare, & iuri derogare, dignitatés creare, quæstiones de fide definire, c. quoties, 24. q. 1. Concilia congregare, & eorum dicta approbare, vel improbare, maiores & difficiliores quæstiones terminare, causas Episcoporum cognoscere, c. multis, 17. dist. c. dudum, 3. q. 6. Episcopos de vna ad aliam sedem transferre, c. mutationes, 7. q. 1. duos Episcopatus vnire, vnumq. partiri, c. & temporis, 16. q. 1. Episcopos à Metropolitani iurisdictione eximere, c. frater, 16. q. 1. Episcopos deponere, & depositos restituere, c. ideò, 2. q. 6. Cessiones ab Episcopis recipere, c. 2. de translat. Episcop. & plura alia, quæ graue esset referre.

Mau. Dixisti Papam eligere Cardinales vti Consiliarios, ergò sequi debet eorum consilium?

X. Papa non omnia cõmunicauit inferioribus, & multa solus facere potest sine aliorum consilio.

Luc. Ex eo, quod supra dixi, Papam eligere Cardinales vti Consiliarios, non inferas, quòd ideò Papa solus nihil facere possit sine Cardinalium consensu. licèt enim Imperator, vel Princeps debeat expedire ardua negocia cum consilio Procerum; tamen si aliter fiat gesta

gesta tenent, Bart. in l. 1. §. si plures, ff. de exerc. act. Franc. March. decis. 1295. per tot. par. 1. nam vt ait Paul. de Castr. in l. 1. nu. 5. ff. de leg. & cons. 284. incip. In præsenti. licèt Papa consueuerit ponderosa negocia expedire de consilio Cardinalium, non tamen de necessitate tenetur, si non vult: immò, vt firmat Abb. in c. 2. nu. 4. vers. numquid autem, de cleric. nō resid. non posset consuetudine introduci, vt Papa non ageret sine consensu Cardinalium: quia esset præscribere contra supremam potestatem Papæ, contra quam nō currit aliqua præscriptio, Innoc. in c. bonæ, il 2. de postulat. Prælator. Si enim Cardinales repræsentant Apostolos, quando assistebant Christo; nulla suadet ratio, vt consilium præbere debeant inuito. Atque, si hæc militans Ecclesia repræsentat triumphantem, vbi vnus est Deus, cui omnia obediunt, vtiq. conuenit, vt eius Vicarius, caput militantis Ecclesiæ talis sit, vt omnes ei pareant: & ita est. Dominus concessit Petro, & Apostoli inter se idipsum voluerunt, vt Petrus reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, seù principium teneret Apostolatus: qui & eandem formam suis Successoribus tenendā tradiderunt, vt dicitur in c. 2. post med. 22. dist. Sed quantum cōueniat prudentiæ cuiusuis Principis sapientum consilia exquirere, exemplo docuit Marcus Antonius Philosophus; qui, vt refert Iul. Capitolinus in eius vita, semper cum optimatibus non solùm bellicas res, sed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, contulit; & sententia illius præcipua semper hæc fuit, Æquius est, vt ego tot, & talium amicorū consilium sequar, quam vt tot, & tales amici meā vnius voluntatem sequantur.

N *Luc.*

XI. An Papa liget manus successorum & an Ecclesia habeat ius gladij, & an liceat potestatem appetere.

Mau. Oblectarunt quidem animum meum, quæ hactenus dixisti. sed insuper nisi molestum tibi foret, vellem alia tria intelligere. Primo, An Papa, qui omnia potest, posit ligare manus Successorum. Secundo, An Ecclesia habeat ius gladij. Tertio, An sit licitum appetere hanc potestatem siuè Ecclesiasticam, siuè sæcularem.

Luc. Paucis absoluam. ad primum respondet Papa in c. final. de rescript. in 6. dicens, quòd nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus, & in c. innotuit, de elect. dicit Papa in hæc verba, ea non fuit prohibentis intentio, qui Successoribus suis nullum potuit præiudicium generare, pari post eum, immò eadẽ potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem; & hæc vera sunt: sed nihilominus ordo rationis suadet, vt qui sua à Successoribus desiderat mandata seruari; decessoris sui proculdubio voluntatem, & statuta custodiat, c. iustitiæ, 25. q. 1. Hinc Gregor. Felici Episcopo scribens dixit, si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non cõstructor, sed euersor esse iustè comprobarer, vt legitur in c. si ea destruerem, 25. q. 2. & idem Gregorius ad Natalem scribens, ait, mihi iniuriam facio, si Prædecessorum meorum iura perturbo, c. quod verò, 25. q. 2. Et sanè nimis asperum esset, & bonis moribus contrarium, sine vlla ratione quæ benè constituta sunt rescindere; & exemplo suo docere cæteros, sua quandoq. post se constituta dissoluere, provt idẽ Gregorius dixit scribens Bonifacio primo defensori, vt refertur in c. institutionis, 25. q. 2. Ad secundum respondet Bonifacius Octauus in extrauag. vnam sanctam,

de

de maior. & obed. quod vterq. gladius ſpiritualis, ſcilicet, feriens animam, & materialis feriens corpus, eſt in poteſtate Eccleſiæ; ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Ideòq. criminoſi, poſtquam fuerunt excommunicati, cum Eccleſia non habeat vltrà quod faciat, traduntur Curiæ ſæculari, vt eis legitima pœna inferatur, c. cum non ab homine, de iudic. Exercent autẽ Eccleſiaſtici gladium materiale, quando ſcilicet habẽt dominium temporale Vrbium, & locorum, & tunc non tanquam Eccleſiaſtici, ſed tanquam Principes temporales. eisq. in loco tẽporalis iuriſdictionis poſſunt tria competere; iuriſdictio, honor, & diſtrictus, c. licet cauſam, in princ. de probat. atque etiam Prælati Eccleſiaſtici, & Epiſcopi, qui non habent niſi iuriſdictionem Eccleſiaſticam, exercent gladium temporale, citra tamen ſanguinem: videlicet pro executione ſuæ poteſtatis. & ideò Epiſcopus poteſt habere familiam armatam, Dec. in d. c. cum non ab homine, nu. 9. de iudic. & Sac. Conc. Trid. cap. 3. ſeſſ. 25. de reformat. definiuit, quòd Iudices Eccleſiaſtici abſtineant à cenſuris, quando executio realis vel perſonalis, propria auctoritate, ab ipſis fieri poterit: videlicet per mulctas pecuniarias, ſeù per captionẽ pignorum, perſonarumq. diſtrictionem per ſuos proprios, aut alienos executores faciendam. Ad tertium ex traditis per Henric. Boich. in c. qualiter, nu. 4. de elect. breuiter reſpondeo, quòd poteſtas, ſeù dignitas Eccleſiaſtica tria in ſe habet, honorem, adminiſtrationem rerum temporalium, & exercitium operis ſpiritualis.

Honor rarò appetitur sine ambitione, & præsumptione: & propterea reprehendũtur in Euang. Matth. 23. qui amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vtilitas autem, & commodum rerum temporalium vix appeti potest sine cupiditate, seù auaritia, c. auaritiæ, de elect. lib. 6. Exercitium verò solum operis spiritualis appetere, citrà tamen præsumptionem, & cupiditatem, vtiq. licet, ait Apostol. 1. ad Timoth. c. 3. in princ. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, & dicitur in c. qui Episcopatum, 8. q. 1. Apostolum, dum hæc dixit, exponere voluisse quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. qui ijs, quibus præficitur, superintendit, curam eorum gerens; sed rarò contingit, vt quis id appetat, quod plus habet incommodi, quàm vtilitatis. Nolo plura de hac re dicere.

Mau. Sat habeo, reliquum igitur est, vt aliqua, de meo, & tuo, seù rerum diuisione notes.

XII. De meo, & tuo, & rerũ diuisione.

Luc. Res à natura productæ, omnes sunt corporales. ex quibus aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. at, quoniam creatæ fuerunt ad hominum vsum, conueniens fuit pro faciliori vsu, & maiori concordia illas partiri. Gentes itaq. dicere possumus tres fecisse partes, vnam tribuisse Deo, alteram Reipublicæ, tertiam priuatis. Ita vt ad primam partem pertineant res sacræ, religiosæ, & sanctæ. ad secundam res communes, publicæ, & vniuersitatis. ad tertiã res singulorum, quę sunt vniuscuiusque vel rationę possessionis, vel dominij. ad quę tria capita, ni fallor, referri possunt quæcunque dicuntur in tit. Instit. & Digestor. de rerum diuisione.

Mau.

Mau. Audiam libenter, quam portionem rerum Deo homines attribuerint.

Luc. Nullo vnquam tempore extiterunt aliqui homines, insipientibus tamen omissis, qui non crediderint, Deum esse, sed qualis fuerit, multi non cognouerunt. Dixit insipiens in corde suo: nõ est Deus, Psal. 52. At Cicero in lib. 2. de natura Deorum paulò post principium ait, Omnibus innatum est, & animo quasi insculptum, esse Deos. quales sint, varium est. esse nemo negat. & in lib. 1. de legib. circa med. inquit, ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiã aliquam Dei; ipsisq. in hominibus nulla gens est neque tàm immansueta, neque tàm fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. obsequium Dijs gentes pręstiterunt; non tanquam indigis, sed adiuuantibus. & aliàs Hesperiæ multa mala contigisse dixit Horat. Oda 6. lib. 3. XIII. De portione rerum Deo attributa.

Dÿ multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosa.

Plura exempla refert Valerius Max. eorum, quibus tanquam iratis, & vindicibus Dijs, tristissimi casus cõtigerunt, in tit. scilicet de neglect. Relig. c. 2. nec satis visum fuit rerum partem Dijs dicare; sed etiam tẽporis, & dierum portionem gentes consecrarunt, & dies festos, quasi Deorum iussu, cõstituerunt. vndè cecinit Ouid. lib. 2. de Ponto, ad Germanic. Eleg. 1.

Dÿ quoque, vt à cunctis hilari pietate colantur:
Tristitiam poni per sua festa iubent.

Quibus diebus quę agenda essent exponit Tibul. lib. 2. Eleg. 1.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator.
Et graue suspenso vomere cesset opus.
Soluite vincla iugis nunc ad præsepia debent.
Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata Deo non audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.

Atque quod festiuis diebus non aliud cõueniat, quàm diuinis vacare, explicat Ouid. lib. 1. Fastorum.

Prospera lux oritur: linguisq. animisq. fauete:
Nunc dicenda bona, sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaq. protinus absint
Iurgia. differ opus liuida lingua tuum.

Gentes dicarunt Dijs partem rerum, vt ostenderent se existimare Deum esse. vndè ait Ouid. lib. 1. de arte amandi.

Expedit esse Deos: & vt expedit esse putemus:
Dentur in antiquos thura merumq. focos.

Partem autem dierum consecrarunt, vt demonstrarent se benè intelligere, hominum opera à Deo pendere. vndè dicit Luc. lib. 9. bell. Ciuil.

Hæremus cuncti superis temploq. iacente.
Nil agimus nisi spontè Dei.

Sed obseruantia, quam gentes putabant Dijs debitam, eas eo vsque perduxit, vt hominum etiam partem obtulerint. & multos populos, qui pueros hominesq. in sacrificijs mactarunt; refert Polyd. Virg. de Inuent. rer. lib. 5. c. 8. Et quod apud omnes gentes inducta fuerint sacrificia, quasi ad placandam iram Deorum, exprimit Ouid. lib. 5. Fastorum.

Sæpè Deos aliquis peccando fecit iniquos:
Et pro delictis hostia blanda fuit:

Sæpè

Sæpè Iouem vidi cum iam sua mittere vellet
Fulmina: thure dato, sustinuisse manum.
At si negligimur: magnis iniuria pœnis
Soluitur & iustum præterit ira modum.

Errarunt Gentiles velut ij, qui obscura nocte, luminibus offuscatis ostium propriæ domus quærentes, modò vnum, modò aliud intrant: donec luce aperta videant, quæ sit propria domus, donec apertis oculis ostium proprium circumspiciant. Hebræis lux data fuit per Moysen, qua possent Deum verum cognoscere. illisq. Moyses, vt refert Iosephus de bello Iudaico, possessiones distribuit. idemq. fecit Iosue eius successor. Leuitis verò, & Sacerdotibus nulla portio terræ data est, sed asignata fuerunt quædam Tabernacula, & tantum agelli, quantum sufficeret ad iuméta & pecora alenda. necnon asignatæ fuerunt decimæ frugũ, & pecudum, ne ob victus inopiam relinqueretur neghgereturvè cultus diuinus. ideòq. quicquid Leuitis, & Sacerdotibus dabatur propter cultum diuinum, Deo offerri dicebatur. sed nedum partem rerum Hebræi attribuerunt Deo, sed etiam dierum. Habuerunt præter Sabbathia plures dies festiuos azimorũ, primitiuorum, & frugum, Paschæ, Pentecostes, & Scenophegiorum, vt legitur Exodi c. 12. & dies tubarum, expiationis, & luminum, & aliorum, vt in Leuit. c. 23. & Num. c. 28. vsi fuerunt etiam triplici genere sacrorum, vt refert Polydor. Virg. de Inuent. rerum lib. 5. c. 7. vnum pertinebat ad rerum portionem debitam Deo, quãdo scilicet primogenitũ animaliũ, siuè bouem, siuè agnũ, siuè aliud animal, modo aniculũ, masculumq. fuisset, immolabant; quod holocaustum dicebatur. alterum

respiciebat gratiarũ actionem,quando offerebant animalia maiora aniculis. Tertium faciebat ad Dei laudẽ, quando psalmis,& orationibus Deum laudabant. vndè dicitur in Ps. 115. Dirupisti vincula mea,tibi sacrificabo hostiã laudis:& nomen Domini inuocabo. & inter Iudæos fuerunt quidã, qui aliud sacrificij genus excogitantes, eorũ mentes virtute munitas Deo offerendas putarunt. & Essęi dicti fuerunt,idest Sancti, de quibus plura retulerunt Philon Hebræus,Eusebius,& post eos Polyd. Virg. de Inuent. rer. lib. 7. c. 1. Nõ habitabãt isti Ciuitates: nõ reponebãt aurum,vel argentũ:non colebant ingentes agros:nolebant plusquam sufficeret eorum necessitati: quia summè diligebãt Deum,perpetua erat illorũ castitas:nulla erat inter eos iurisiurandi mentio,nullum odiũ, nullum mendaciũ. & quia virtutem colebant,negligebant pecuniã; spernebant gloriam: odebant voluptatem. & quia feruentissimã etiã habebant erga proximum charitatẽ, vigebat inter eos beneuolẽtia,societas,æqualitas. vna erat domus,vnicũ ærarium,vnus sumptus. communis erat vestis,cõmunis cibus, & potus, cõmunis mensa, omnis deniq. vita communis. Iudæi,quasi in tenebris,sola luce legis Mosaycæ,viderunt domũ propriam,cognouerunt Deum, sed ostiũ propriæ domus luce deficiente circumspicere nõ potuerunt: prout optimè circumspiciunt Christiani,quos lux mundi illuminauit,& quibus Christus fuit via,veritas,& vita. Christiani meliùs,quàm cæteri, portionem rerum Deo debitam tribuerunt. dicarunt partem dierũ,didicerũt sacris ministerijs,votis,& orationibus Deo gratias agere, Deum collaudare, Dei irã suppliciter placare. Cõstat ex historijs,quòd Chri-

stus

ſtus Saluator noſter habuit aliquas facultates,quamuis tenues,ſimulq. Apoſtoli aliquid habuerũt,c. 4.de verb. ſignific. in extrauag. Ioann.XXII. Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata cõſeruans eorum neceſsitatibus,alijsq. indigentibus tribuebat, c. habebat, 12. q. 1. Poſt ſanctiſsimũ eius Aſcenſum Diſcipuli Apoſtolorum,qui domos,vel agros poſsidebant,vendebãt eos, & pretia eorum,& reliquas res,quas habebant, offerebant ponentes antè pedes Apoſtolorum, & diuidebãtur ſingulis,provt cuiq. opus erat, c.dilectiſsimis, 12. q. 1. non retinebant Apoſtoli prædia in Iudæa, ſed vẽdebant. & pretia recipiebãt ad fouendos egentes. poſtquam verò plures gentes,& Romani venerunt ad fidẽ baptiſmi,tandem Cõſtantinus Primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuerſum Orbem non ſolùm fieri Chriſtianos; ſed etiam fabricare Eccleſias,& prædia tribuere poſſe conſtituit, & ipſe donaria immenſa cõtulit,c.futuram, 12. q. 1. Cum autem viſum fuit expedire,vt oblata prædia non venderentur, cœperunt ſummi Sacerdotes,& reliqui fideles ea tradere matricibus Eccleſijs, vt ex eorũ redditibus fideles communẽ vitam ducentes, alerentur, c. videntes, 12. q. 1. Inſuper Chriſtiani Sacerdotibus decimas perſoluerunt,tanquam tributa egentium animarum, vndè dicitur in c. decimæ, 16. q. 1. Si decimam dederis,abundantiam fructus recipies, corporisq. & animæ ſanitatem conſequeris. Deus prẽmium non poſtulat, ſed honorem. qui dignatus eſt totum dare,dignatur etiam à nobis recipere decimam, non ſibi,ſed nobis profuturam. In portione igitur Dei ſunt omnes res Eccleſiæ,quæ dicuntur vota fidelium,pretia peccatorum,

torum,& patrimonia pauperum,c.quia iuxta, 16.q.1. Et cum sint patrimonium Ecclesię sponsæ Christi debent sine læsione conseruari, l. iubemus, 2. C. de sacrosanct. Eccles.& quia à fidelibus Deo oblatæ fuerũt, c.res Ecclesiæ, 21.q. 1. & dicatæ vsibus secretorum cælestium, c. attendendum, 17.q.4. & collatæ pro remedio peccatorum, pro salute, & requie animarum, c. indignè, 12.q. 2. Ideò earum dominium, & possessio censetur esse apud Christum, Innoc. in c. cum super, nu.3. de caus. poss. & propriet. Earum verò custodia,& administratio,& distributio pertinet ad Episcopos,& Ecclesiarum Rectores,c.vobis, 12. q. 2. qui earum rationem diuino reddituri sunt examini, c.cõcesso, 12.q. 2.

Cum autem Christiani receperint à Deo per Euagelium maiora beneficia,quàm Iudęi sub lege: plures etiam dies festiuos pro ampliori gratiarum actione cõstituerunt. & loco Sabbathi instituerunt diem Dominicum, cuius meminit Ioan.Apoc. c.1. ibi, Fui in spiritu in Dominica die. & S.Augustin.contra Faustũ lib.19.ait. Cum quæris Sabbathi otium cur nõ obseruat Christianus? Respondeo, id non obseruat Christianus; quia quod figura profitebatur, iam Christus impleuit. & in c. 1. de consecr. dist. 3. dicitur tempus feriandi esse omnem Dominicam, ne Iudaismo Christiani capiantur.& ibidem recensentur alij dies festiui vltrà Dominicã, videlicet Natalis Domini,& alij.quid autem deceat agere in diebus festiuis, ostenditur in l.dies festos, C.de ferijs, vbi Imperatores Leo,& Antoninus rescripserunt, Dies festos Maiestati Altissimæ dedicatos nullis voluptatibus occupandos; nec vllis exactio-

exactionum vexationibus profanandos. Et ita Dominicum diem semper honorabilem, venerandum fore; vt à cunctis executionibus excusetur. & in c.nullus, 15. q.4. Præcipitur Episcopis, & Clericis, ne audeant diebus festiuis, propositum cuiusuis negocium ventilare, nisi hoc tantum, vt Deo statuta solemnia peragant, & in c. placita, eadem 5. q. 4. Placita sæcularia prohibentur in Dominicis diebus,& alijs pręcipuis festis, & executiones fieri prohibentur per septem dies antè Natalem Domini, vsque ad Epiphaniam. & tempore Paschę per totam Octauam: vt quisque liberam facultatem habeat adeundi Ecclesiam,& orationibus vacandi. Et in c.commessationes, 44 dist. Præcipitur omnibus, vt in festiuitatibus abstineant à commessationibus, & ebrietatibus, & in c.irreligiosa, de consecr. dist.3. Statuitur, vt in solemnitatibus debeant populi vacare diuini officijs, non autem saltationibus, vel cantilenis. Et in c. 1. de ferijs. statutum legitur,Omnes dies Dominicos cum omni veneratione esse obseruandos, & ab omni illicito opere esse abstinendum; vt in eis mercatum minimè fiat, neque placitum: neque aliquis ad mortem,vel ad pęnam iudicetur: nec sacramenta, nisi pro pace, vel alia necessitate, pręstentur. Et in c. fin. eod. tit. dicitur, quòd quamuis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones: debet tamen Iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reuerentiam Dei noscuntur esse statuti: scilicet Natalis Domini,& alij ibidem enumerati. Didicerunt insuper Christifideles sanctum aliud sacrificandi genus ieiunium scilicet, quod ex pluribus constat rem esse sanctam: & primò propter corporis ma-

macerationem, iuxta illud dictum Psal. 108. Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum. Secundo propter spiritus pertinacis expulsionẽ. vndè dicitur Matth. c. 9. Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiù cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferretur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. idem legitur Lucæ c. 5. Tertio propter diuinæ gratiæ implorationem, sic dicitur Act: Apost. c. 14. Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, cõmendauerũt eos Domino, in quẽ crediderunt. Quarto & vltimo propter Christi ieiunantis imitationem, vt enim legitur Matth. c. 4. Cum ieiunasset Iesus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, posteà esurijt. Hinc vt dierum decima pariter soluatur Deo, instituta est Quadragesima. quæ summa obseruatione est obseruãda, quia ipsi dies decimæ sunt anni, vt ostẽditur in c. Quadragesima, de cõsecr. dist. 5. Et quia annus voluitur per quatuor tempora, veris scilicet, æstatis, autumni, & hyemis, statuta etiã sunt quatuor tempora communi ieiunio obseruanda in mensibus Martij, seù in prima hebdomanda Quadragesimæ, Iunij, Septembris, & Decembris, c. 1. & 2. 76. dist. Tandem non defuerunt inter fideles, qui meliori sorte, quàm Gentiles, Deo immolati fuerũt; illi scilicet Sancti Martyres, qui non dubitarunt pro Christi fide pati: qui Christi imitatores libentissimè sanguinem effuderũt. provt nec defuerũt alij, qui ardenti erga Deum amore, feruentiq. erga proximum dilectione meliùs, quàm Essenij, veram religionem professi fuerunt, vitæ innocentiam conseruarunt, pietatem exercuerunt, &

chari-

charitatem: Eremitæ scilicet, Monachi, Mendicantes, cæteriq. Ecclesiastici tàm Regulares, quàm Sæculares, quos ad infinitum penè numerum excreuisse gloriari debet nostra ætas: quia tot fidelium oblationes, tot deuotorum mentes, tot Religiosorum vota diuina benignitas non despexit. nec vllus est sanæ mentis, qui putet laicos depauperatos esse ob tot munera Deo dicata, ob tot ædes sacras exædificatas, ob tot Monasteria dotata, ob tot beneficia erecta. maiores enim sunt nostrorum temporum diuitiæ, ampliores laicorũ facultates. crescit numerus seruientium Deo, orantium pro populo: crescunt diuinæ gratiæ: crescit rerũ omnium copia. Iudæa, vt scribit D. Hieronym. in epist. ad Dardanum, angusta erat, cuius longitudo iter tridui non excedebat: latitudo autem longè minor erat. & tamẽ maximum Sacerdotum Leuitarumq. numerum Deo dicauit, & aluit. Legitur Num. c. 3. quòd Moyses recensuit primogenitos filiorum Israel à mense, & supra: & inuenti fuerunt viginti duo millia ducenti septuaginta tres. & 1. Paralipom. c. 23. Dauid senex Regem constituit Salomonem filium suum super Israel. & congregauit omnes Principes Israel, & Sacerdotes, atque Leuitas. numeratiq. sunt Leuitæ à triginta annis supra, & inuenti sunt triginta octo millia virorum. ex his electi sunt, & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia. Præpositorum autem, & Iudicum sex millia: porrò quatuor millia & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. Quid mirum igitur si Christianitas longiùs diffusa, & propagata, & quę maiora à clementissimo Deo beneficia recepit, ingentẽ,

ac penè infinitum numerum seruientium Deo adhibeat? Ecclesiastici sunt illi, qui debitam Deo rerum portionem attributam recipiunt, & distribuunt. isti res sacras, sanctasq. & religiosas custodiunt; quæ autem sint res sacræ, religiosæ,& sanctæ, & in quo differant, nolo recensere; nam hæc optimè explicantur per DD. Instit. & ff. de rerum diuis.

Mau. Nescio an maiore attentione, vel maiore animi iucũditate hæc audiuerim. sequitur vt dicas de altera parte rerũ,quam dicebas, attributã fuisse Reipublicæ.

Luc. Non dicam de Republica Atheniensium, Carthaginensium, vel Romanorum.

Mau. Dices igitur de Patria Demosthenis, qui interrogatus cuius esset, respondit se esse mundanum.

XIV. De portione Reipublicæ attributa.

Luc. Dicam de diuisione,quam fecerunt gentes, quæ vnam partem Reipublicæ, hoc est, publicæ omnium commoditati,publico vsui reliquerunt. tunc quando fuerunt discretæ gentes, & Regna condita, dominia distincta, & agris termini positi, & ædificia collata, vt dicitur in l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iure. Aer, aqua profluens, & mare, relicta sunt pro communi hominum vsu,& commoditate. & publicus etiam est vsus litorum, fluminum, & riparum, vt in §. & quidẽ naturali iure,cum seqq. Inst. de rerum diuis.Quędam etiam sunt communia Ciuitatum, Vniuersitatum, vt viæ, ædificia, palatia, Curiæ communes, & similia, §. vniuersitatis, Instit. eodem, de rerum diuis.

Mau. Omissa longiori rerum communium explicatione, aggredere tertiam partem, quam dicebas priuatis datam fuisse.

Luc. Tertia pars,quę fuit data priuatis pertinet ad singulos,

gulos, vel ratione possessionis, vel ratione dominij.

Mau. Dic primò aliqua de possessione, deindè de dominio.

Luc. Ex rebus humani iuris, & quæ sunt in bonis nostris vel ratione possessionis, vel dominij, aliæ tangũtur, aliæ non. illæ sunt corporales, istæ incorporales. ex corporalibus, quæ sunt immobiles, calcantur pedibus. & quæ sunt mobiles, manibus capiũtur. incorporales verò, quia in solo iure cõsistunt, solo acquiruntur animo, vt hæreditas, vsusfructus, seruitutes, obligationes, & actiones, l. 1. §. quædam præterea, ff. de rer. diuis. Dè immobilibus, quia pede calcantur propriè dicitur possessio, quasi pedum positio, l. 1. ff. de acquir. possess. Sed de mobilibus, quia capiuntur manibus, minùs propriè dicitur possessio, glos. in d. l. 1. in princ. At de incorporalibus, quia solo apprehenduntur animo nõ dicitur possessio, sed quasi possessio, l. seruus, §. incorporales, ff. de acquir. rer. domin. Nonnulli ex nostris, qui cæteris eruditiores cẽsentur putant possessionem non à pedibus, sed à sedibus dictam, vt sit sedium positio non pedum, & ita legi aiunt in pandectis Florentinis, & glos. in d. l. 1. dicit à pedibus, aliàs à sedibus. & vulgatam editionem d. l. 1. vbi legitur possessionem appellatam esse à pedibus, quasi pedum positio, velut corruptam, & mendosam reprobant. quod videntur didicisse à Grammaticis docẽtibus verbum, possideo, deductum esse ab antiquo verbo pos, & sedeo, quasi potens sedeo. Sed quicquid sit, non recedamus à communi, & vulgata editione, quam tot sæcula receperũt, & approbarunt tot legum oracula: etenim nullibi legitur gentes in rerũ distinctione hoc ius dixisse, quicquid

XV. De portiore singulorum, & de possessione.

quid ſedibus occupaueris,tuum ſit, prout vulgatum eſt ita ſtatuiſſe, quicquid calcauerit pes tuus tuum ſit, gloſ. in d. l. 1. in verbo, quia naturaliter, ff. de acquir. poſſeſſ. & vt legitur Deuter. in c. 11. Moyſes dixit filijs Iſrael: Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit. & in lib. Ioſue c. 1. dixit Dominus: Omnẽ locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi. Scimus etiam denominationem ſumendam eſſe ab eo, quod principalius eſt, & dignius, l. quæritur, ff. de ſtat. hom. Non ergò ſine ratione poſſeſsio dicitur à pedum poſitione, quæ pręcipua eſt, & poſitionem ſedium omnemq. aliã corporis operationem præcedit: quandoquidem pedes ſunt ſuſtentamentum, & vehiculum totius corporis, & ſe habent ad reliquum corpus ſicut baſes ad columnas, Bald. in rubr. extr. de cauſ. poſſeſſ. & proprietat. nu. 2. Nec vim facit, quod ex omni pedum poſitione non ſequatur poſſeſſio, cum pedes ponantur in via, in foro, & in Eccleſia, & tamen iſtorum locorum poſſeſſio non acquiritur, quia hoc accidit nedum propter defectum animi poſſidendi; verum etiam propter inhabilitatem materiæ: ea enim, quæ ſunt aut vniuerſitatis, aut in nullius bonis, non ſubiacent poſſeſſioni dominiovè ſingulorum, §. vniuerſitatis, cum duob. ſeq. Inſtit. de rer. diuiſ. Sicut etiam non facit ſcrupulum, quòd poſſideantur etiam mobilia, quæ tamen non pedibus calcantur, ſed manibus apprehenduntur; quia neque id fit ſine pedum miniſterio, & ope; immò, quia vt ait Caſtr. in d. l. 1. n. 3. ff. de acquir. poſſ. poſſeſſio mobilium vilis eſt, & abiecta ex quo facilè amittitur, ſtatim ſcilicet omiſſa, vel neglecta cuſtodia,

dia, l. si rem mobilem, ff. de acquir. possess. mirum non est si eius, & manuum ratio habita non fuit in denominatione sumenda, quæ desumpta fuit à pedibus, inspecta possessione immobilium, quæ dignior est, & difficiliùs amittitur. nec fuit habita ratio oculorum, tametsi censeantur sedes, & animi habitaculum, qui quasi præstantiores postremi perficiuntur, & antè cæteras corporis partes exoriuntur, vt aiunt naturales; nam solo aspectu possessio non acquiritur, nisi aliud concurrat, velut præsentia rei, & voluntas possessoris, l. quod meo, §. si venditorem, ff. de acquir. poss. Nulla tandem animi ratio habita fuit in denominanda possessione, quia ius gentium solam corporalē apprehensionem, & naturalem insistentiam considerauit in acquirenda, & retinenda possessione. eoq. iure quis possessor existebat, quamdiù rem detinebat. & qui vnius rei possessionem capiebat, alterius possessionem amittebat, quando illa corporalis insistentia deficiebat. quam gentium conditionem hodie nobis repręsentare videntur Zingari, & Arabes, qui modò vnum locum occupant, modò alium suis sedibus, & tugurijs. quippè qui eas amouentes, prioris loci possessionem nullatenus retinent. vndè dicere possumus illo iure loca omnia fuisse, qualia remanserunt litora maris: ibi enim si quis ædificium ponit, fit possessor: sublato autem ædificio tollitur & possessio. & ita dicitur in l. quod in litore, ff. de acquir. rer. dom. litora esse sicut ea, quę primum natura prodita sunt, sed post oppida constructa, post conditas vrbes, quia fieri non poterat, vt quis ciuiles domos habitaret, simulq. rustica prædia per se eodem tempore coleret, & naturaliter

possideret. Iure ciuili inductum fuit, vt non solius corporis, sed etiam animi ratio haberetur in acquirenda, retinenda, & amittenda possessione, l. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 3. §. in amittenda, & l. clam possidere, §. qui ad nundinas, ff. de acquir. possess. quo iure inspecto, potior quidem est animus corpore in possessione retinenda, & amittenda. sed in acquirendo, potior est naturalis, & corporalis apprehensio. neque enim solo animo potest acquiri possessio, nisi antecedat naturalis possessio, l. 3. §. Neratius, ff. de acquir. possess. Hinc duo subsecuta sunt, vnum quòd quis, nedum per se, sed etiam per alium, & nedum sibi, sed etiam alteri possideat. sic videmus per Procuratores possessionem absentibus acquiri; & per colonos, inquilinos, vel conductores detineri, & possessoribus conseruari. alterum est, quòd qui, vel prohibiti sunt à lege, vel qui animo sunt infirmo, & imbecilli, velut furiosi, & pupilli possessionem iure ciuili nō acquirunt: licet enim valeant rem pedibus calcare, & manibus apprehendere; tamē quia animum possidendi, vel natura, vel iure prohibente non habent; possessionem non acquirunt, non retinent. & quamuis corporali apprehensione possidere quodammodo incipiant; possessionem tamen, animo possidendi deficiente, non perficiunt: sunt velut dormientes, qui si in eorum manibus aliquid ponatur, tenent quidem, sed tenendi affectionem non habent, l. 1. §. adipiscimur, ff. de acquir. possess. vbi declarat etiam Iurisconf. pupillum sine tutoris authoritate posse incipere possidere, quia hæc res est facti, nō iuris. & subiungit in sequenti §. si vir vxori, quòd si maritus causa donationis cedat vxori possessionem,

licèt

licèt talis donatio ſit prohibita inter coniuges; tamen vxor poſsidet: quia res facti, iure ciuili infirmari non poteſt. & eleganter dicitur in l. poſſeſsio quoque, ff de acquir. poſſ. quòd qui in aliena poteſtate ſunt, rem peculiarem tenere poſſunt; habere autem, & poſſidere non poſſunt: quia poſſeſsio non tantùm corporis, ſed etiam iuris eſt. Et hac ratione de rebus incorporalibus, de iuribus ſcilicet, non dicitur poſſeſsio: quia naturalis apprehenſio non concurrit. ſed dicitur quaſi poſſeſsio; quia ex duobus, quæ in acquirenda poſſeſſione requiruntur, ſola concurrit animi apprehenſio, l. ſequitur, §. ſi viam, ff. de vſucap.

Man. De poſſeſsione ſingularia quædam dixiſti, & mihi grata. ſequitur dicendum de dominio.

Luc. Dominium propriè dicitur de rebus corporalibus, illudq. incepit ex naturali poſſeſsione, l. 1. ff. de acquiren. poſs. tunc quando Ius gentium conſtituit, quicquid calcauerit pes tuus, tuum ſit. ex qua naturali occupatione cauſatum fuit dominium, quod illo iure conſiſtebat in ſolo vſu, & ſola rei commoditate, gloſ. in d. l. 1. in verb. ait, intantum vt corporali inſiſtentia deficiente, dominium quoque deficeret, l. 3. l. naturalem, ff. de acquir. rer. domin. Veſtigium, & exemplum huius dominij, remanſit in his dumtaxat; quæ terra, mari, cæloq. capiuntur: quippè quæ fiunt eorum, qui primi eorum poſſeſsionem apprehenderint. & deſinunt eorum eſſe quamprimum ſeſe recipiunt in naturalem libertatem: rurſusq. fiunt occupantis, §. feræ, Inſtit. de rer. diuiſ. Idem erat de alijs rebus corporalibus, quæ vel immobilia ſunt, vel non ſe mouentia, d. l. 1. ff. de acquir. poſs. Vtiliter, & ſufficienter

XVI. De dominio.

prouidit Ius gentium; tunc quãdo latus erat campus, & pauci erant occupatores. at constructis Vrbibus, auctis Ciuibus, Ciuili iure opus fuit. quod cum induxisset, vt non solo corpore, sed etiam animo acquireretur, & retineretur possessio; induxit etiam illud dominij genus solo animo consistens; separatumq. ab vsu, & vtilitate: quale est illud, quod habet dominus feudi, vel emphiteusis, & etiam hæres proprietarius, l. 2. ff. quibus modis vsusfructus amittatur, l. sed si, cũ l. sequenti, ff. de vsufr. adeò vt dicere possimus, duplex esse dominium, vnum quod corpore, aliud quod animo detinetur. illud est vtile, istud directum. illud naturale, istud ciuile. & differunt inter se sicut fructus, & proprietas, quæ nihil habet commune cum possessione, l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquir. poss. iungi tamen possunt inter se, & consolidari, & tunc dicitur dominium plenum, §. vltim. Instit. de vsufr. l. fœminæ, §. illud, C. de secun. nupt. Ideòq. fieri potest, vt vnus possessor sit, non dominus. & alter dominus quidem sit, possessor verò non sit. & tandem vt possessor idem & dominus sit, vt legitur in l. 1. in princ. ff. vti posid. quarundam itaq. rerum dominium acquiritur Iure gentium, quarundã verò iure ciuili. illud per occupationem, istud per traditionem, l. 1. ff. de acquir. rer. dom. sed vera, & propria acquisitio dominij est per occupationem: quãdoquidem fit de eo, quod naturaliter commune est. per traditionem autem verè non acquiritur dominium, sed mutatur, & transfertur de vno in alium. ideòq. rectè dicitur in l. traditionibus, C. de pact. dominia rerum traditionibus transferri. eodéq. dicendi genere vtitur

Iurisc.

Iurisc. in l.traditio,& in l.nunquã nuda, ff. de acquir. rer. dom. De rebus autem incorporalibus dominium non dicitur, sed ius, l.rectè dicimus, ff. de verb. signif. quasi dominium verò dicitur illa opinio, quàm habet is, qui bona fide possidet, & credit se dominum, cùm tamen verè dominus non sit: ideò dicitur habere fictum, seu quasi dominium, §. namq. si cui, Instit. de act. l.bona fides 2. ff. de reg. iur.

Et hæc inter priuatos rerum distributio fuit necessaria triplici ratione, vt ait Diuus Thom. 2. 2. q. 66. art. 2. quem refert Rip. in rubric. ff. de acquiren. possess. num. 3. Prima est, ne ratione communionis bona communiter negligerentur: naturale enim est vitium negligi, quod communiter possidetur; & quis arbitratur se nihil habere, quòd totum non habeat. & dum inuidet alienæ parti, suam quoque partem patitur corrumpi, l. 2. C. quando, & quibus quar. pars deb. libr. 10. Secunda est, vt euitetur confusio; nam ordinatè res tractantur, si singulis tanquam propriæ gubernandæ tradantur, c. 1. & 2. 89. dist. Tertia, & vltima est, vt euitentur rixæ, & discordiæ; quæ ex communione nascuntur: Ideòq. nemo inuitus compellitur ad communionem, l. si non sortem, §. si autem debens, ff. de condit. indeb. legitur in libro Genes. c. 13. quòd terra non poterat capere Abraham, & Lot, vt habitarent simul: erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. vndè facta est rixa inter pastores gregium eorum Abraham, & Lot. Dixit ergò Abraham ad Lot: ne quæso sit iurgium inter me, & te; & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus.

XVII. Rerum distributio inter homines cur fuerit necessaria.

ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. elegitq. sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: diuisiq. sunt alterutrum à fratre suo. Legitur insuper in libro Iosue c. 13. quòd post Moysen, & post factam ab eo possessionum diuisionem inter tribus; cùm Iosue senuisset, terraq. latissima derelicta esset; quæ nec sorte esset diuisa: iussit ei Deus, vt diuideret terram in possessionem Tribubus, & ipse diuisit. Hinc etiam legitur apud Liuiũ lib. 2. & apud alios, quòd Romani promulgarunt legem agrariam, de agris populo diuidendis. & nos ex iure Canonico didicimus, necessarium, & vtile fuisse, vt illa portio rerum Deo dicata, diuideretur inter plures Ecclesiasticos, quoad illud scilicet dominium naturale, quoad fructum inquam, & vtilitatem, seù potiùs quoad solam administrationem, vt paulò antè dicebam. Quid modo cogitas Maure?

XVIII. De venatione, piscatione, & aucupio.

Mau. Mente reuoluo modũ illum res occupandi, quē dicebas remansisse in his, quæ terra, mari, cæloq. capiuntur. & stupeo considerans illorum dementiam, qui feras consectantur, insidiantur piscibus, insequuntur aues.

Luc. Quisquis te audiret, vereor nè velut stupidum, sensuq carentem increparet.

Mau. Te alloquor, non venatores; quorum alij diù noctuq. vagantur per montes, & valles, inter saxa, & spinas. & quid sectantur? lepusculum. Alij satagunt aquas hamo percutere. quid autem quærunt? pisciculum. Alij verò nihil melius putant, quam fi-

fistula, vel sibilo auiculas decipere, cogere in retia.

Luc. Quisq. venator audax, ingeniosus piscator, auceps agilis te proculdubio notaret animi imbecillitate, tarditate ingenij, corporis pigritia.

Mau. Quisque sibi placet, suam quisque parté opinionemvè tueri conatur. sed non video qua ratione debeãt homines ducere noctes insomnes pro re exigua; tempus terere exercitio periculoso; exponere se imbribus, vel pruinis pro re vili. Tumultuosa est, & inquieta venatorum vita; damnosum est eorum exercitium alienis rebus, agris scilicet, vineis, syluis. Malè vtuntur isti propria substantia; dum alunt canes, accipitres, bubones, & similia. sunt inimici propriæ vitæ, dum aquis, & luto piscium causa se inuoluunt. sunt propriæ salutis immemores, dum ventorum rigori, iniuriæ Solis, immanitati ferarum se subijciunt. sunt permolesti, dum suis fistulis, & sibilis familiarium, & vicinorum capita iugiter obtundunt: dum euntes manè, molestis clamoribus quiescentes interturbant; & sero redeuntes tumultu, & strepitu transeuntes omnes exurdant. sed aliquando pœnam luunt eorum demẽtiæ, quando vacui domum repetunt, ab amicis illusi: quando defessi valdè, accumbere non valent; & cæteri præda fruuntur absque labore.

Luc. Ait Varo. lib. 4. de lingua latina, venationem dictam esse ab euentu: quia præda nõ semper est certa. multiq. venantur, & euenit, vt non omnes prædam consequantur. gloria autem, quæ nascitur à felici euẽtu, superat quascunque voluptates. In libro Genes. cap. 9. Deus benedixit Noe, & filijs eius, & dixit ad

eos, terror vester, ac tremor super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli. omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Ideóq. colligimus, necesse esse, vt homines studeant venari, piscari, aucupari: ne aliàs viderentur cõtemnere diuinam munificentiam, & negligere elargitum imperium. Verum est non omnia omnibus conuenire: & propterea hæc permittuntur illis præcipuè, qui si fortè ociosi remanèrent, aliud malè agere discerent. & illis etiam, qui rei militari operam daturi sunt: vt tali studio, & exercitatione fiant robusti, celeres, & laboriosi. dicebat Cic. lib. 2. de nat. Deorum, circa finem, immanes, & feras belluas nanciscimur venando, vt & vescamur ijs, & exerceamur in venando, ad similitudinem bellicæ disciplinæ: vt vtamur domitis, & condocefactis; multaq. ex eorum corporibus remedia morbis, & vulneribus eligamus. Hæc autem permisio intelligitur dummodo nihil fiat cum iniuria, & damno alterius. Plato in libro de legib. dial. 7. in fin. præscribit, venatorem nocturnum retibus, & canibus suis fidentem, nemo vspiam sinat venari: auceps per incultos agros, montesq. vagari permittatur; à cultis locis sacrisq. incultis, à quocunque pellatur. Piscator nec in portubus, nec sacris paludibus, stagnisq. venetur. in alijs liceat, dummodo succorum non vtatur permixtione. Rursus hæc permissa sunt, quatenus non dimittantur, negligantur vè quæcunque præcipua sunt, & potiora. Rustici, qui culturæ agrorum adscripti sunt, tempus culturæ destinatum conterrere non debent in perse-

quendo

quendo lepusculo: si tamen animalia fera nocentia capiant; digni sunt laude. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, dicitur in lib. Cant. c. 2. Ciues illi, qui domus, & familiæ curam habent, pessimè agunt; si inopes, nihil aliud student, quàm retia conficere, & alere canes. eorumq. deploranda esset conditio, quippè qui velut Actæon, se à suis canibus dilacerari paterentur. Qui præsunt publicis negocijs, hæc agunt laudabiliter animi causa. Marcus Antoninus Philosophus Imperator, etsi studiosus, à grauioribus Reipublicæ curis animum remittens, in venationem pergebat, & interdum piscando se oblectabat, & vt scribit Iulius Capitolinus in eius vita, amauit pugilantium luctamina, & cursum, & aucupatus, & pila lusit apprimè, & venatus est. Venabatur etiam, & piscabatur nonnunquã Alexander Seuerus alioquin Reipublicæ intẽtus: vt enim refert Lampridius in eius vita, ad maiorum effigies rem diuinam faciebat, si id non poterat, pro loci qualitate, vel vectabatur, vel piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur; dehinc, si hora permitteret, actibus publicis post multam operam dabat. Interdictæ sunt seruis Dei venationes, & syluasticæ vacationes. ijq. prohibiti sunt habere accipitres, & falcones, c. Episcopum, cum seq. 34. dist. c. 1. & 2. de Cleric. venat. vt enim legitur in c. Esau, 86. dist. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non inuenimus in scripturis sanctis Sanctũ aliquẽ venatorem; piscatores autem inuenimus Sanctos. Ideòq. vt innuit ibidem glos. permittitur Ecclesiasticis piscatio; quia pauca in ea potest esse delectatio, & in ea potest de diuinis cogitari. Christus

elegit

elegit piſcatores in Apoſtolos, eosq. fecit fieri piſcatores hominum; inter quos, vt dicitur Ioan. 21. Simon Petrus dixit alijs, vado piſcari; & dixerunt ei, venimus & nos. Legitur de ſancto Euſtachio, & de alijs, quòd venati fuerunt. vndè dicere poſſumus, quòd Sancti fuerunt, non quia venatores, ſed Petrus, Andræas, & cæteri, Sancti fuerunt: quia piſcatores. Ex eo autem, quòd aliquando prohibeatur venatio, nō tamen actus damnatur: ſed nimia delectatio mentis. quandoquidem in huiuſmodi rebus, non vſus, ſed libido vtentis in culpa eſt, c. 1. diſt. 41. tempore, quo vacandum eſt orationi, prohibentur omnes venari, c. an putatis, 86. diſt. Alijs verò diebus laicis venari licet, c. non eſt in poteſtate, de decimis. Prælati autem, & alij Eccleſiaſtici poſſunt venari, aliquando recreationis gratia, cum ſilentio tamen, & modeſtia, vt not. Doct. in dicto c. 1. de Cleric. venat. & in c. cum Apoſtolus, §. quo circa, de cenſibus.

Mau. Venatorum cauſam apud me ſatis defendiſti: reliquum eſt vt aliqua notes de bello, poſtquam ſat habeo notata hucuſq. de poteſtate Eccleſiaſtica, de meo, & tuo, de diuiſione rerum, poſſeſſione, & dominio.

Luc. In fine diei neceſſe eſt, vt breuiter dicam.

Mau. Quid autem de bello vlterius dices?

Luc. Quatuor propono; vnum, quid obſeruandum ſit in bello gerendo. Alterum, an ex humano conſilio, an verò diuino iudicio bellum proueniat. Tertium vndè expectanda ſit victoria: Poſtremum capta in bello cuius fiant.

XIX. De bello, & quæ ſint obſeruāda inter bellatores.

Mau. Curioſa ſunt hæc: audiam libentiſſimè.

Luc. Quantum igitur ad primum, cum vt alias diceba-

mus,

mus, bellum esse debeat necessarium, & iustum contra hostem, qui non vult pacem; & ad repellendam iniuriam, non ad inferendam: multa sunt in bello gerendo obseruanda. sed ego colligo nonnulla ex libro Deuteron. c.20. Vnum est, vt qui bellum gerunt, omnem fiduciam reijciant in Deum. ibi, Non pertimescat cor vestrum: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit. Alterum, vt in exercitu non admittantur impediti, formidolosi, & inutiles. ibi, Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu proclamabunt. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello; & alius accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum. Quis est homo formidolosus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum; sicut ipse timore perterritus est. Tertium est, vt antè aggressus offeratur hosti pax. ibi, Quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas; cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Quartum est, vt victor modestè victoria vtatur: & parcatur fœminis, & pueris. ibi, Cumq. tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladij absque mulieribus, & infantibus, iumentis, & cæteris, quæ in ciuitate sunt. Quintum, vt præda inter milites distribuatur. ibi, Omnem prędã exercitui diuides, & comedes

medes de spolijs hostiũ tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Postremũ, vt in obsidione non deuastetur regio. ibi, Quando obsederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circũdederis, vt expugnes eas; non succides arbores, de quibus vesci potest; nec securibus debes vastare regionẽ: quoniam lignum est, & nõ homo: nec potest bellantiũ cõtra te augere numerũ. Si quæ autem ligna nõ sunt pomifera, sed agrestia, in cæteros apta vsus, succide: & instrue machinas, donec capias ciuitatẽ, quę contra te dimicat. Nõnulla verò, quæ pertinẽt ad eos, quos exercitus inimicus aggreditur, & obsidet, pariter colligo ex c. 32. lib. 1. Paralip. Vnũ est, vt Princeps ciuitatis, vel loci cõgreget sapientes, & rei bellicę expertos, & ab eis consilium capiat: & iuxta eorũ sententiã decernat. ibi, Senacherib Rex Assyriorũ ingressus Iudæã obsedit ciuitates munitas, volẽs eas capere. quod cũ vidisset Ezechias Rex, iniuit consiliũ cum Principibus, virisq. fortissimis. Alterũ, vt studeat auferre exercitui aduersario quascũq. commoditates. ibi, Et omniũ decernẽte sententia, cõgregauit plurimã multitudinem, & obturauerunt cũctos fontes, & riuum, qui fluebãt in medio terræ, dicẽtes, ne veniant Reges Assyriorũ, & inueniant aquarũ abundantiã. Tertiũ, vt muros, & arces reædificet, & extruat. ibi, Ædificauit quoq. agens industriè omnẽ murum, qui fuerat dissipatus: & extruxit turres, & forinsecus alterũ murum. Quartũ, vt adhibeat arma, & Duces, & exercitum benè muniat. ibi, Et fecit vniuersi generis armaturã, & clypeos, cõstituitq. Principes bellatorũ in exercitu. Quintũ, vt milites, & populũ confortetur, & animet. ibi, Et cõuocauit vniuersos in platea

portæ Ciuitatis; ac locutus est ad cor eorum dicens: Viriliter agite, & confortamini; nolite timere, nec paueatis Regem Asyriorum,& vniuersam multitudinem, quæ est cum eo: multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo: cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatq. pro nobis. Confortatusq. est populus huiusmodi verbis Ezechiæ Regis Iuda. Postremũ est, vt populus fortiter sustineat primos aggressus, & vigilet, oret, & speret in Deo. ibi, Insuper & clamore magno contra populũ, qui sedebat in muris Ierusalem, personabat, vt terreret eos, & caperet ciuitatem. orauerũt igitur Ezechias Rex, & Isaias filius Amos Prophetæ. ac vociferati sunt vsque ad cælum. & misit Dominus Angelum, qui percusit omnem virum robustum,& bellatorem, & Principem exercitus Regis Asyriorum. reuersusq. est cum ignominia in terram suam.

Mau. Præclarè dixisti ad primum.

Luc. Quantum ad alterum, etsi bellũ immediatè oriri videatur ex humanis cõsilijs,& deliberationibus Principum: nõ tamen prouenit nisi Dei iudicio,& motu. quando, vel Regnorum, vel Prouinciarũ, vel Vrbium sceleribus ad iram commouetur,& vindictam. qua ratione excitat gentes extraneas, & feroces; vt eorum voracitati,& furori tradat populos contumaces. Isaias cap. 5. ait, Iratus est furor Domini in populum suum; & extendit manum suam super eum, & percusit eũ: & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. & Ierem. c. 5. exclamat dicẽs: Hęc dicit Dominus Deus exercituum; XX. Bellum non oritur sine diuino iudicio.

Ego

Ego adducam ſuper vos gentem de longinquo: gentem robuſtam, gentem antiquam, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Atque idem legitur in libro Deuteronomij c. 28. ibi, Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in ſimilitudinem Aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non poſſis. gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, & deuoret fructum iumẽtorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas. Equidem non video quomodo fieri poſſet, vt Principes animum ad bellandum applicarent: niſi eos quodammodo cogeret diuina iuſtitia: aliàs enim deterrerentur, & bellum omninò euitarent; conſiderantes quanta ſint bellorum incommoda, quanta fiant diſpendia, quanta excidia naſcantur; & quàm incertus ſit euentus. minusq. poſſibile eſſet, vt miles inueniretur, qui, pro paruo ſtipendio menſtruatim promiſſo, tanto rigori diſciplinæ, & obedientiæ militaris ſe vellet ſubijcere; & ſemper eſſe anxius, ſemper ſolicitus, & omni tempore miſer.

Mau. Impoſsibile ſanè eſt, vt hæc res aliter ſe habeat: ad alia.

XXI. Victoria, & liberatio ab alio non eſt expectanda, quam à Deo.

Luc. Quantum ad tertium. ab alio non eſt expectanda victoria, ſeù liberatio; quàm à Deo: vt enim legitur lib. 2. Machabæorum c. 8. Iudas Machabæus conuocatis ſeptem millibus, qui cum eo erant, eos rogabat ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerẽt iniquè venientium aduerſum ſe hoſtium multitudinem: ſed fortiter cõtenderent. reddens rationem: nam illi quidem armis confidunt, ſimul & audacia: nos autem in omni-

omnipotente Domino, qui potest, & venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vno nutu delere, cõfidimus. Nihil sanè valent vires humanæ. plerumq. qui fortissimi sunt; debili cedunt brachio. in libro 1. Regum c. 17. Dauid dixit ad Philistæum: tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo. Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum. Cum ergò surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, festinauit Dauid ad pugnam, & misit manum in peram, tulitq. vnum lapidẽ, & funda iecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte. Sæpè euenit, vt minor pugnantiũ numerus superet maiorem volente Deo. In lib. Iosue c. 10. cum habitatores Gabaon essent obsessi à Regibus Amorrhæorum, petierunt auxilium à Iosue, cui dixit Deus: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit. Cum autem Amorrhæi fugissent, Dominus misit super eos lapides magnos de cęlo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel. & vt legitur in lib. 2. Paralipomen. c. 14. Asa, pugnaturus contra numerosum exercitum Æthyopum, inuocauit Dominum dicens: Domine non est apud te vlla distantia: vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus. adiuua nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noster tu es, non præualeat contra te homo. Exterruit itaq. Dominus Æthyopes corã Asa, & Iuda: fugeruntq. Æthyopes. Victoria sanè est diuini operis, nõ humanæ fortitudinis. vt enim legimus in eodem libro 2. Paralipom. c. 20. Iosaphat aggressus

à Syrijs,

à Syrijs orauit ad Dominum. & Iahaziel, super quem factus est spiritus Domini in medio turbæ, & ait: Attendite omnis Iuda, & qui habitatis Ierusalem, & tu Rex Iosaphat: Hęc dicit Dominus vobis. nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est vestra pugna, sed Dei. non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state: & videbitis auxilium Domini super vos. Ideòq. vt inferiùs subiungitur Iosaphat dedit consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum. ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. eumq. cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Amon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant, vt pugnarẽt cõtra Iudam, & percussi sunt. Reuersusq. est omnis vir Iuda, & habitatores Ierusalem: & Iosaphat antè eos in Ierusalem cum psalterijs, & cytharis, & tubis in domum Domini. irruit autem pauor Domini super vniuersa regna terrarum, cũ audissent, quòd pugnasset Dominus cõtra inimicos Israel. quieuitq. regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem. Pariter in lib. 1. Machab. c. 3. quando Iudæi viderunt magnum exercitum Seron Principis exercitus Syriæ, dixerunt Iudę. quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem? nos fatigati sumus ieiunio hodie. Et ait Iudas, facilè est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Domini cæli liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. vt autem cessauit loqui, insiluit in

eos

eos subitò, & contritus est Seron, & exercitus eius in conspectu ipsius. Et re vera quò magis homines proprijs viribus confidunt, eò magis confunduntur. dicitur Isaię c. 30. Hęc dicit Dominus Deus sanctus Israel. Si reuertamini, & quiescatis: salui eritis, in silentio, & in spe erit fortitudo vestra. & noluistis: & dixistis nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideò fugietis. & super veloces ascendemus: ideò velociores erunt, qui persequentur vos. Tunc autem victoria, vel liberatio à Deo conceditur, quando populus percussus, & fortiter pugnans se corrigit: & Clerus oratione diuinam iram placat. Primum deduco ex libro Iudith c. 8. ibi, Et nos ergò non vlciscamur nos pro his, quæ patimur: sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi serui corripimur ad emendationem, & non ad perditionē nostram euenisse credamus. Alterum colligo ex lib. Exodi c. 17. vbi venit Amalec, & pugnabat contra Israel, & Moyses dixit ad Iosue, Elige viros, & egressus pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. & fecit Iosue, vt loquutus erat Moyses: & pugnauit contra Amalec. Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumq. leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. & addo text. in c. 12. lib. 2. Paralipomen. vbi cum roboratum fuisset Regnum Roboam, & confortatum dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo. Anno autem quinto Regni Roboam ascendit Sesac Rex Ægypti in Ierusalem: quia peccauerāt Domino. Semeias autē Propheta ingressus est ad Roboā,

& Principes Iuda, qui cõgregati fuerunt in Ierusalem, fugientes Sesac, dixitq. ad eos: Hæc dicit Dominus: vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. Consternatiq. Principes Israel, & Rex dixerunt: Iustus est Dominus. Cumq. vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, nõ disperdam eos, daboq. eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Nisi fallor huc spectare volebant Ethnici, & Gentiles, quando bellorum euentus non humanę fortitudini, sed fortunæ, & fato tribuebant. vndè dicebat Cæs. in Comment. lib. 6. multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest. sed quasi infirmis oculis rem benè prospicere non valuerunt. quòd si ipsi etiam Deum verum, Deum fortem, Deum malorum vindicem cognouissent, neque hæc, neque alia confictis Idolis adscripsissent. Finis igitur bellorum est debellatio vnius, & victoria alterius. Ex prima hoc boni nascitur; quòd illi, qui anteà præ ocio, & pace, qua fruebantur superbi, & iniusti facti erant, bello tandem correcti, iusti, & humiles redduntur: vt enim ait Arist. lib. 7. Politic. c. 15. Bellum quidem ipsum cogit homines esse iustos, ac temperatos: fortunæ autem prosperæ fruitio, & ocium cum pace, petulantes magis facit. Ex altera autem, ex victoria scilicet duo nascũtur. Triumphus, qui debetur Principi exercitus vincẽtis; & præda, quæ militibus vincentibus diuiditur. Quoad triumphum legitur in 1. lib. Regum c. 18. Cum reuerteretur Dauid percusso Philistæo, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, chorosq. ducentes in occur-

occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ,& in ſiſtris, & præcinebant mulieres ludentes,atque dicẽtes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Apud Romanos, qui bello hoſtes profligauerant, Romam ingrediebantur triumphantes magna ſolemnitate, & pompa, prout referunt Plutarch. in vita Marcelli, Plin. lib. 5. c. 5. Liuius lib. 10. Decade 4. & alij. Quoad prædam in lib. Numeri c. 31. cum Iudæi bellarentur cum Madianitis, dixit Dominus ad Moyſen: Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine, vſque ad pecus, tu, & Eleazar Sacerdos, & Princeps vulgi. diuidesq. ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerũt. Quòd autem milites nõ debeant omni tempore trahi cupiditate prædæ, Iudas Machabæus admonuit, vt legitur in lib. 1. Machab. c. 4. ibi, Et reuerſus eſt Iudas, & exercitus eius ſequens eum, dixitq. ad populum: Nonconcupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt; & Gorgias, & exercitus eius propè nos in monte; Sed ſtate nunc cõtra inimicos noſtros, & expugnate eos, & ſumetis poſteà ſpolia ſecuri. Hoc autem Galli aliquãdo non obſeruarunt, qui vt notat Polib. lib. 2. antè med. & lib. 3. poſt med. dum certarent inter ſe in Italia ſuper prædæ diuiſione, exiſterẽtq. incompoſiti, à Romanis eorum hoſtibus inopinatè inuaſi, & timore percuſſi, fugerunt. Itaut nedum prędam, ſed etiam magnam exercitus partem perdiderint.

Mau. De victoria non magis disertè; quàm verè loquutus es. remanent capta in bello.

Luc. Quantùm igitur ad tertium. Ius gentium introduxit ſecundum modum acquirendi dominia, per captiuitatem, quæ differt ab occupatione; quia per XXII. De captis in bello cuius fiunt.

P 2 occu-

occupationem acquirebatur dominiũ rei vacantis, seù communis. per captiuitatem autem acquirebantur res hostium, captæ in bello, iustè tamen, & legitimè indicto. Hostes enim sunt illi, quibus bellum publicè Populus Romanus, vel alius Princeps superiorem nõ recognoscẽs, decreuit. cæteri verò, latrunculi, vel prędones appellantur: & ideò qui à latronibus captus est, seruus latronum non est, l. hostes, ff. de capt. & postlim. reuers. l. hostes, ff. de verb. significat. Si capiuntur singulares homines, liberi in seruitutem deducũtur: qui tamen si euaserint capientium potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt, §. item ea quæ, Instit. de rerum diuis. Si capiantur vniuersitates; tunc homines non fiunt serui, sed subditi quoad iurisdictionẽ, & remanent ciues, & retinent sua bona, Bart. in l. Diuus, in princ. ff. de iur. fisci, Bald. in rubr. extr. de treug. & pace, num. 12. Si capiuntur agri singulares, fiunt capientiũ; sed expulsis hostibus ex agris, quos cœperant, dominia eorum agrorum ad priores dominos redeunt, l. si captiuus, §. expulsis, ff. de capt. & postlim. reuers. Sed an fiant militum capientiũ, vel Principis, cuius nomine bellum geritur, licèt Doctores multa dicant, Ego dicã breuiter, quòd res immobiles fiunt Principis, vel Reipublicæ, quæ bellũ indixit, d. l. si captiuus, ff. de captiuis, & postlim. reuers. Bart. in l. si quid bello, nu. 3. ff. eodem. Mobiles verò, etsi fiant Principis, debet tamen Princeps prædam, & spolia, quæ scilicet mobilia sunt, vel se mouentia, inter milites distribuere, secundùm eorum merita. vt enim dicitur in c. dicat aliquis, 23. q. 5. Decet militarem disciplinam, vt Regi omnia seruentur. vt scilicet diuidat

secun-

secundùm militum merita, provt ibi subiungit glos. id, quod probatur per text. in c. ius militare, 1. dist. vbi dicitur, quòd ad ius militare pertinet prædæ decisio, & pro personarum qualitatibus, & laboribus iusta diuisio, & Principis portio. Quòd autem, tàm apud Romanos, quàm Græcos, & alios in vsu fuerit, prædá inter milites distribuere: referunt ferè omnes Historici. aliàs enim, nisi tali spe milites ducerentur, sanè non multum allicerentur ad pugnam, & victoriam, solo stipendio, soliusq. gloriæ cupiditate. Hinc videmus venatores, quò magis ad prædam canes alliciant, ferarum, quas cœperunt, præcordia illis obijcere. an autem in diuisione prædæ habēda sit ratio dumtaxat illorum, qui prædam cœperunt; explicauit Dauid, qui, vt legitur in lib. 1. Reg. c. 30. quodam viro pessimo dicente, eis, qui non venerunt, nobiscum non dabimus quidquam de præda, quam eruimus; dixit. Non sic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus: nec audiet vos quisquam super hoc sermone: æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanētis ad sarcinas, & similiter diuident: & subiungitur in hæc verba, & hoc factum est ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel vsque in diem hanc. Sed ecce Maure Sol recedit: si vis plura de bello, milites consule.

Mau. Recedente Sole, recedamus & nos: reliquis autem satisfacies in sequenti, nisi molestum putaueris.

Luc. Quod in me erit non negabo.

SEXTVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Luc. PERVENIMVS Maure ad contractus, successiones, & iudicia: quæ tu considerabas velut medicamina contraria, & venenata. Sed hodie, quasi mutato cōspicillo, rem diuersam perspicies.

Mau. Accessi hoc desiderio motus.

Luc. De contractibus, dicebas eos inuentos, vt homines se inuicem circumueniant. damnabas tot contrahendi modos, tot cautelas. arbitrabaris nullam esse eorum firmitatem; sed ob cuiusvis leuioris solemnitatis, seù clausulæ defectum illos corruere, illosq. corrumpi, siuè testium contradictione, siuè scripturarum ambiguitate, siuè interpretationum multiplicitate.

Mau. Rationes etiam adduxi.

I. Respōdet Lucius, contractus esset necessarios, & vtiles.

Luc. Non sum oblitus. In primis ergò necesse est, vt fatearis necessitatem, & vtilitatem contractuum, ea ratione: quia inuenti sunt iure gentium, l. ex hoc iure, ff. de iustit. & iur. Ius autem gentium nihil aliud est, quàm quod naturalis ratio constituit inter omnes gẽtes, & apud omnes peræq. custoditur, & vocatur ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur, §. ius autem ciuile, Instit. de iure nat. gent. & ciu. sed vt examinemus breuiter multiplicitatem, & varietatem contractuum, quare fuerit necessaria: putas nè post rerum diuisionem, post acquisitum per singulos rerũ dominium, & possessionem, compertũ fuisse, vt vnusquisque

quisque rei propriæ satis haberet, an autem indigeret aliena?

Mau. Credo non potuisse fieri ita æqualem diuisionē, & occupationem rerum, vt vni aliquid non superesset, & alteri aliquid non deesset.

Luc. Ergò necessarium fuit Commercium: vt inter homines fieret rerum permutatio; & alteri quisque daret id, quod superfluum habebat, pro re, cuius indigeret.

Mau. Non facilè euenire poterat, vt quisque tantum dare posset, quantum recipere necesse haberet.

Luc. Auctis gentibus, & cognita permutandi difficultate, inuenta fuit Pecunia, cuius perpetua est æstimatio; quæ idcircò omnia æquat; vt enim ait Arist. lib. 5. Ethic. nummo omnia commensurantur. & institutus fuit contractus Emptionis, & Venditionis. vt res quisque sibi necessarias pretio compararet, l. 1. ff. de contrahen. empt.

Mau. Habebat ne quisque tantum pecunię?

Luc. Quia non habebat quisque facultatem emendi rem alienam; nec aptus erat quisque in quauis re sibi necessaria operari: introductus fuit contractus Locationis, & Conductionis; vt quisque valeret, siuè res, siuè operas proprias alteri locare, alienasq. ab alio conducere, non pretio, sed pensione, seù mercede.

Mau. Quid verò agebant illi, quibus deerat pretium, & pensio?

Luc. Quia vel pretium, vel mercedem quisque non habebat, nec quisque res proprias, aut vendendi, aut locandi necessitatem, voluntatemvè habebat; naturalis æquitas suadebat, vt qui rebus affluebant, liberales

existerent erga indigentes, beneuolos præcipuè, & amicos. Vndè fuerunt inducti alij duo contractus, Mutuum scilicet, & Commodatum. Mutuum, vt possent homines, ea quæ consistunt in pondere, numero, & mensura, velut frumentum, vinum, oleum, pecunia, & similia, concedere gratis, & mutuare amicis, & beneuolis, recepturi idem, & non plus in genere suo, l. 2. ff. de rebus credit. Commodatum verò, vt quisque posset gratis ea concedere, quæ nō consistunt in pondere, numero, & mensura; siuè sint mobilia, siuè immobilia, siuè etiam incorporalia, prout sunt vestis, equus, fundus, & habitatio, eandem rem in specie recepturus, non aliam, l. 1. §. huius edicti, ff. commodati.

Mau. Nonne facilè euenire poterat, vt quis ita re alterius indigeret, vt posteà neque idem genus, neque eandem speciem valeret restituere?

Luc. Vt plurimum etiam hodie contingit; sed quia obligatur quisque naturaliter benefaciēti benefacere, l. sed & si, §. consuluit, ff. de petit. hæred. Ideò eodem iure gentium inuentus est contractus Donationis, vt posset quilibet, nullo iure cogente, sed sola liberalitate, & munificentia, rem propriam alteri dono dare, l. 1. & l. donari, ff. de donat.

Mau. Hoc autem est de rarò contingens.

Luc. Non ita rarò fiunt donationes: euulsa non est ab humano pectore liberalitas, & gratitudo. sed quoniā præfati Contractus ad hoc tendunt; vt inter homines possint bona transferri de vno in alium, ratione dominij, possessionis, vel vsus: ideò ad effectum, vt aliqui possent etiam inter se bona propria conferre, & communi-

municare operas, lucra, & res. necesse fuit introducere contractum Societatis, quæ contrahitur, vel ad vberiorem quæstum, vel ad commodiorem vsum; & vel in perpetuum, hoc est ad vitam, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione, l. 1. ff. pro socio.

Mau. Quid opus fuit de exulante rerum communione vlterius cogitare?

Luc. Exulat adhuc rerum omnium vniuersalis communio; sed particularis inter aliquos societas, humano generi haud vnquam inimica fuit: cuius priuatæ societatis, & communionis præcipuum principium est Matrimonium, Viri, & mulieris coniunctio, continens indiuiduam vitæ consuetudinem, §. 1. Instit. de patria potestate; quod etsi ratione coniunctionis, sit de iure naturali, §. 1. Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. & ratione institutionis dicatur de iure diuino: quia Deus in Paradiso coniugium instituit, c. sicut, §. 1. 32. q. 2. ratione autem formæ, & solemnitatis sit de iure positiuo, ciuili, vel canonico; tamen ratione mutui consensus, est de iure gentium, c. tuæ fraternitati, de sponsal. & eo iure vtiliter inuentus est contractus Dotis, Bart. in rubr. ff. solut. matrim. in fine, vt scilicet mulier valeat proprium patrimonium viro communicare, & conferre pro sustinẽdo onere matrimonij, l. 1. & l. dotis fructus, ff. de iure dotium.

Mau. Non est ergò, vt conquerantur, qui vel filiabus, vel sororibus dotes constituunt; quasi marito dent proprium sanguinem, & proprias pecunias?

Luc. Neutiquam graue videri debet, si proprium mulieri patrimonium assignent; si inter consortes cõmunicentur bona, inter quos mutua etiam seruitia

debent

debent præstari. In prædictis contractibus continge-bat, vt quis alterius fidem sequi deberet, respectu vel solutionis pretij, & pensionis; vel traditionis, & restitutionis rerum: & quisque cupiebat sibi cautum fore. ideò inuentus fuit contractus Pignoris, quo posset debitor securum reddere creditorem, & illi aliquá rem propriam pugno, manu vè dare, nõ restituendam, nisi debito persoluto, l. plebs, §. pignus, ff. de verbor. significat.

Mau. Iste pignoris contractus parùm, vt puto, placebat Martiali, qui libro 12. in Thelesinum 25. conquerebatur hoc Carmine.

Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri Thelesine sodali,
Credis colliculis, arboribusq. meis.

Luc. Iure quidem irascitur amicus, si alter dubiam eius fidem habere demonstret.

Mau. Sed multò magis amicus conqueritur, si amicitiæ colore ab altero deludatur.

Luc. Verum dicis: progrediamur vlterius. Natura non dedit quidquam maius, & carius Amicitia; ideòq. vt amici mutuis operationibus, & officijs sibi possent opem ferre, inuentus fuit contractus Mandati; vt quod per se ipsum quis implere nõ valeret, amico committeret expediendum. & hac ratione mandatum debet esse gratuitum: quia trahit originem ex officio, & amicitia, l. 1. ff. mandati.

Mau. Amicitiæ non permanent stabiles, fragiliores sunt vitro.

Luc. Iracundi sunt homines, irascuntur facilè, oriuntur

tur bella, contentiones, rixæ; quæ turbant pacem, & amicitiam: & propterea, vt possent amici ad concordiam reduci, & pacem inire; introductus est contractus Pacis, seù Pactum fœderis. quæ conuentio si fiat ex causa publica ad breue tempus, dicuntur Induciæ, si ad longum, dicitur Treuga, si in perpetuum, dicitur Pax: sicut etiã si fiat ex causa priuata, dicitur Pax, seù Concordia, l. conuentionum, & ibi glos. in verb. quædam paciscantur, ff. de pactis. Insuper, quia natura rerum inductum est; vt plura sint negocia, quàm vocabula, l. natura, ff. de præscriptis verbis: ideò, vltrà prædictos contractus, qui sortiti sunt propriũ nomen, idem ius gentium induxit etiam alias conuentiones, & obligationes; quæ proprio nomine carent, & dicuntur contractus Innominati, qui sunt quatuor, Do, vt des, Do, vt facias, Facio, vt facias, Facio, vt des, l. naturalis, ff. de præscript. verbis: qui ad aliud non tendunt, quàm ad conseruationem humanæ societatis, humani commercij, humanæ amicitiæ, prout cæteri Nominati.

Mau. Non ergò sunt isti cõtractus laquei, & decipulæ, vt dicebam?

Luc. Mox tu ipse iudicabis. Indubitatum est, contractus, pacta, & conuentiones nullatenus fieri posse, nisi vtraq. pars consentiat: est enim pactio, duorum pluriumvè in idem placitum, & consensus, l. 1. §. pactum, ff. de pactis. & sicut conuenire dicuntur ij, qui ex diuersis locis in vnum locum colliguntur, & veniunt: ita qui ex diuersis animi motibus in vnum cõsentiunt, idest in vnam sententiam decurrunt: & conuentionis nomen adeò generale est, vt nullus sit contractus, II. Probat leges rescindere cõtractus illos, quibus causã dedit error, metus, vel dolus.

nullaq.

nullaq.obligatio,quę non habeat in se conuentionem, d.l.1. §. conuentionis verbum,ff. de pactis. inuitus autem nemo cogitur consentire, nemo obligatur inuitus, l. inuitum, C. de contrahend. empt. & scienti, & consentienti non fit fraus, neque dolus, c. scienti, de reg.iur. in 6. Quotiescunque igitur cōtrahentes verè consentiunt, tunc contractus dici nequit laqueus, vel decipula, quorum proprium est capere, & detinere nolentes, & incautos; sed rectè dici potest ligamen, quo quis spontè se ligat: vt enim dicitur in l. sicut, C. de act. & obligat. vnusquisque intelligere debet, se voluntariæ obligationi semel nexum, ab ea, non cōsentiente altera parte, minimè posse discedere. Sanè nihil tàm congruum est humanæ fidei, quàm ea, quæ placuerint, seruare, l. 1. ff. de pactis. E conuerso contractus illi, quibus non interuenit verus, & spōtaneus consensus, non sunt ligacula iustitiæ, sed nexus iniquitatis.

Mau. Si leges non fouent istos contractus, neque contrahentium astutias, tibi adhæreo.

Luc. Leges perstringunt, & iuuant vincula iustitiæ; & prohibent, dissoluuntq. iniustitiæ nodos.

Mau. Hoc si probaueris acquiescam.

Luc. Possunt ne omnes naturaliter consentire?

Mau. Pueri, & furiosi (vt dicitur) non habent velle, neque nolle.

Luc. Mulieres verò, & minores habent ne cōsensum liberum à natura?

Mau. Habent, sed, vt experientia docet, ob eorum animi leuitatem, & imbecillitatem iudicij, nesciunt consentire, nisi in proprium damnum.

Luc.

Luc. Leges nõ admittunt pupillorum, & furiosorum contractus absque tutoris, & curatoris authoritate, & consensu: ne aliàs iniquè illaquearentur. neque sinunt mulieres, & minores contrahere sine certis solemnitatibus: nè aliàs omni procul consilio, deciperentur. cæterorum autem contractus, quorum libera est voluntas, leges vtiq. recipiunt, & exequuntur. sed in primis solicitæ sunt, vt de eorum certo, & vero consensu appareat, vel per testes, vel per scripturas, siuè priuatas, siuè publicas, l. pactum, quod bona fide, C. de pactis. atque vt magis explicitus sit contrahentium consensus, ius ciuile induxit stipulationem, illam videlicet verborum cõceptionem, quæ fit ex præcedente interrogatione, & subsequente responsione, l. 1. ff. de verbor. oblig. quæ vtiliter apponi consueuit in omni contractu, & instrumento: ne aliàs facilè esset cuiq. improbo homini præstitum consensum cõtrouertere, vel negare. Contractus autem illos, quibus error, metus, dolusvè causam præbuit, annullant, vel rescindũt: quia ea impediunt consensum, l. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. Iudic. & quæcunque agenda sunt ex animi destinatione, non nisi vera, & certa scientia perfici possunt, l. in totum, ff. de reg. iur. rescindunt etiam læsiuas cõuentiones, & prohibent vsuras, & monopolia, neque volunt vt homines iniquè lucrentur, l. fin. C. pro emptore.

Mau. Ergò leges prohibent etiam Mercatores?

Luc. Quæ illatio est hæc? quæ necessaria consequentia? III. De mercatura, & cautelarum vsu, & earum vtilitate.

Mau. Si leges nolent homines quærere iniqua compendia, vtiq. arcerent Mercatores: sicut Dominus,

nolens

nolens templum fieri speluncam latronũ,eiecit ementes,& vendentes in templo,& mensas nummulariorũ, & Cathedras vendentium columbas euertit, vt legitur Matthæi cap.21.

Luc. Mercatura connumeratur inter ea, quæ per se non sunt mala;possunt tamen circũstantijs deprauari. Sacerdotes Ierusalem, vt referunt sacri expositores, nimia cupiditate,& auaritia ducti, mittebant familiares suos ad vendendum in atrijs templi ea, quæ consueuerant in templo offerri,constituebantq. ibi certos nummularios,qui sub certa cautione traderent pecunias illis, qui ad templum veniebant; idq. non alia ratione agebant Sacerdotes illi; nisi vt maiores fierent oblationes: & ne illi, qui veniebant de longinquo cessarent ab oblatione, seq. excusarent, quia animalia offerenda secum ducere non potuissent,& promptam pecuniam nõ habuissent. Factum istud displicuit Domino. Ratione personarum non decet Sacerdotes,& cultui diuino mancipatos negotiationibus, & lucris se inuoluere, c.1. 88. dist. quos etiam monere voluit Prophet.Psal. 70. dicens: Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. Ratione autem loci templum esse debet domus orationis, non autem negotiationis, c.consequens,dicta dist. 88. c.& hoc diximus, 16. q.7. Quoad laicos verò,& extra loca sacra non damnatur negotium,& mercatura: sed periurium, & mendacium, eadem 88. dist. c.eijciens, & c.sequen.& vt dicitur in c.qualitas,de pœnitent.dist.5. Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est, & honestus quæstus, & turpis: nemo etenim militat suis stipendijs, Apost. 1.ad Corint.c.9.& dignus

est

est mercenarius mercede sua, Matth. c.10. Quàm vtilis, necessariusq; sit mercaturæ vsus ostendit Iurisc. in l. 2. ff. de nundinis: qui ex authoritate Platonis in lib. 2. ciuilis conuersationis, probat Ciuitatem indigere pluribus, & rusticis, & conductoribus, & alijs ministrantibus, quorum alij inuehant, & alij euehant singula, & isti sunt negotiatores: neque enim expedit, vt cultores agrorum, piscatores, & cæteri, qui diuersas res, diuersas operas faciunt, & construunt, debeant sedere ociosè in foro, diùq. cessare ab eorum opere, & expectare indigentes, quibus vendant. & hac ratione necessarij sunt mercatores, qui ab eis emant, & alijs vendant oportunè. Docet experientia in vna regione deficere multa, quæ in altera superabundant. vndè dixit Virgil. lib. 1. Georgic.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes, nudi ferrum, virosaq. pontus
Castorea, eliadum palmas epeiros equarum?

Vsu etiam compertum est, quòd alibi homines in colendis agris se exercent; alibi in artibus mechanicis occupantur; alibi dant operam militiæ: cum ergò nō omnes possint cōmodè ire ad res, quibus egent comparandas, & deferendas: neque ad id omnes industriā habeant, & peritiam; necesse est, vt sint qui huic officio mancipentur; in eoq. alicuius lucri spe nutriantur. hinc dixit Horat. lib. 1. epist. 1. ad Mecænatem.

Impiger extremos mercator curris ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per igneis.

Et quia Reipublicæ vtilitas postulat, vt res facilè, & absque mora emantur, & vendantur: ideò Imperator in l. nobiliores, C. de commerc. & mercat. prohibet nobi-

nobiliores mercimonium exercere, vt inter plebeios, & negotiatores faciliùs sit emendi, vendendiq. commercium. id quod intelligi debet de rebus minutatim vendendis. An verò mercatura obstet nobilitati, benè distinguit Cic.in lib. 1. offic.de temperant. Mercatura, inquit, si tenuis est, sordida putanda est; sin magna, & copiosa, multa vndiq. apportans, multisq. sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. atque etiam si satiata quæstu, vel contenta potiùs,vt sæpè ex alto in portũ, ex ipso portu se in agros, possessionesq. contulerit, videtur iure optimo posse laudari. Referunt Historici,plures etiam præclarissimos viros mercaturam exercuisse, nempè Thaletem, Solonem, Hipocratem, & Platonem, & alios. Sed vlterius prisci cognouerũt, mercaturam hanc vtilitatẽ afferre, quia multarum, & maximarum rerum vsum experientiamq. homines edocet; & insuper ad barbarorum necessitudines,Regumq.amicitias contrahendas plurimum valet. At quoniam in negotiatione,& mercatura requiritur fides, veritas, & iustitia, ideò in lib. Leuit. c. 19. ad iustitiam monentur mercatores hoc sermone. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura: statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusq. sextarius, & in c. 25. Time Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te: pecuniam tuam non dabis ad vsuram, & fructuum superabundantiam non exiges. ad veritatem autem, & fidem seruandam in mercatura hortatur quisque in lib. Deuteronom.c.25. Non habebis in sacculo diuersa pondera,maius,& minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor: pondus habe-

habebis iustum,& verum; & modius æqualis,& verus erit tibi: vt multo viuas tempore super terram. Et quoniam habendi cupiditas homines ad malum perducit: ideò Ecclesiastic.c.27. admonet quemuis mercatorem, vt suam lucri cupiditatem moderetur, dicens. Propter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, auertit oculum suum. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter mediũ venditionis,& emptionis angustiabitur peccatũ. conteretur cum delinquente delictum. si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. sicut in percussura cribri remanebit puluis, sic aporia hominis in cogitatu illius. & pariter quia cuilibet dictum est respice finem: ideò Salomon Prouer. c.11. prædicit qualis futurus sit iustorum, & qualis iniustorum mercatorum finis, in hæc verba. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. qui cõfidit in diuitijs suis corruet:iusti autem quasi virens folium germinabunt, & c.20. Suauis est homini panis mendacij; & posteà implebitur os eius calculo. Et quia (vt dicitur) malè parta malè dilabũtur. Ideò D.Ioannes Chrysost. vt refertur in c. eijciens, 88. dist. loquens de iniquis mercatoribus,dicit, stabilem non esse eorum substantiam, neque ad bonum proficere, quod de malo congregatur: quemadmodum enim si triticum,aut aliud tale cernas in cribro,dum huc, & illuc iactatur,grana omnia paulatim deorsum cadunt; & tandem in cribro nihil remanet, nisi stercus solùm; sic de substantia negotiatorum nouissimè nihil remanet, nisi solũ peccatum. sed procul sint impij mercatores, & dolosi

contrahētes : de quibus dicere possumus vnà cum Michæa c.6. Comedunt, & non saturantur; seminant, & non metent ; calcant oliuam, & non vnguntur oleo; comprimunt vuas, & vinum non bibunt.

Man. Iura diuina humanam quidem cupiditatem exprobrant, & coercent; sed leges humanæ volunt, vt contrahentes se inuicem decipiant, & simplicitatem, quam appellant amicam, derident, & alterius contrahentis versutiam adiuuant, & extollunt, vt dicebam, si, provt dixisti, non es oblitus.

Luc. Naturale est, vt quisque plus sibi velit, quàm alteri, vndè dixit glos. in l. præses, in verbo proximum, C. de seruit. & aqua.

Alpibus ille perit, qui se plus diligit vllum.

Nam ordinata charitas incipit à se ipso. & hoc pertinet ad partem illam prudentiæ, quam prouidentiam dicunt. quod ergò dicitur in l. in causæ la 2. §. idem Pomponius, ff. de minor. quam allegasti, intelligi debet de circumuentione absque dolo, & fraude ; qua alter contrahentium sibi magis vult cōsulere, & prouidere, sic dicitur in l. itē si pretio, §. quemadmodum, ff. locati. In emendo, & vendendo naturaliter concessum esse, quod pluris sit, minoris emere : & quod minoris sit, plus vendere: & ita inuicem se circumscribere, vbi glos. aduertit, verbum, circumscribere, stare impropriè; pro circumscriptione, seù circumuentione absque dolo. Si ex contrahentibus vnus prouidus sit, & alter improuidus; lex prouido assistit. & hoc est quod dicitur in l. pupillus, in fine, ff. de ijs, quæ in fraudem creditorum, quam adduxisti. vigilantibus scilicet ius Ciuile scriptum esse. Ideòq. laudatur iure merito

ritò diligentia hæredis, qui res hæreditarias vendidit sua diligentia, maiori pretio, & cauetur, vt illud plus in eius vtilitatem cedat, non creditorum, vt in l. si hæres la prima, ff. ad l. Falcidiam, quam attulisti. At si in contrahendo vnus callidus sit, & alter simplex; lex ita cauet ne lucrosa sit malitia, & damnosa simplicitas, l. 1. ff. de dolo malo. Dolosa censetur circumuentio, si detur auricalcum pro auro: si mensurentur octo pro decem: si tradatur animal morbosum pro sano. tunc non concurrit consensus vtriusque, is, qui vult sibi tantum dari, haud censeri potest improuidus; sed simplex: si minus accipiat, seductus. At si quis petat pretium magnum, & rigorosum; & alter offerat minimum, & pium; & deindè in altero ex illis, aut in medio conueniant; qui minus accipit; non simplex meretur dici, sed improuidus. At non solùm in quantitate, & qualitate rerum consideratur dolosa circumuentio: sed etiam in pretio, quando contrahitur cum minore, quem lex restituit etiam aduersus modicam læsionem, ob eius facilitatem, & alterius præsumptam calliditatem, l. Seio, ff. de in integr. restitut. Item quãdo in contractu inter maiores læsio est vltrà dimidiã iusti pretij: tunc enim lex humanum putat, vt vel contractus rescindatur, vel suppleatur iustũ pretium, l. 2. C. de rescind. vendit. Ex innumeris contractibus, qui quotidiè, & vbiq. fiunt, paucissimi in controuersiam deducuntur: & non sunt contractus, qui pariunt lites, sed vel contrahentium improbitas, vel personarum mutatio, vel ambiguitas verborum rem dubiam facit. Quamobrem necessarium fuit, vt lex certam contrahendi formam præscriberet: statueret modum

probandi; contractus ad libram iustitiæ, & æquitatis appenderet; probaretq. alios; alios reijceret: dubios autem, vel iuxta verborum proprietatem, vel iuxta verisimilem contrahentium mentem interpretaretur.

Vsus cautelarum, & clausularũ in contractibus, & instrumentis omninò necessarius est, & vtilis: vt valeat quisque sibi secundùm ius, & iustitiam in suis negocijs prospicere, & cauere: neque enim omittendum est quidquam, quod ad cautelam pertineat, c. quanto, 63. dist. & ea dumtaxat laudabilis est cautela, in qua totum ratio agit, c. illa, 11. q. 3. si omnes homines ipso honesto mouerētur, essent omnes viri boni. non opus esset Iudice, nec teste. obseruarentur cōtractus absque scriptura. nulla obstaret verborum ambiguitas. incorrupta esset paciscentium fides. At quoniam plures, callidi potiùs, quàm boni, sola ducuntur vtilitate, & fructu; ad faciliorem promissorum obseruantiam vtiliter conficitur scriptura, adduntur cautelæ, adhibentur testes, aditur Iudex. Sed hęc, & alia quęcunque, quæ ad iustitiam commutatiuam pertinent, quàm benè legibus, & constitutionibus disposita sint, & definita, in progressu studiorum tuorum comperies.

Mau. Aperuisti satis hanc rem, transeamus ad successiones.

IV. Respōdet Lucius ad opposita cōtra successiones, & nōnulla dicit de morte Auari.

Luc. Introducta Successio, succedendi ordo, vsus testandi humanam cupiditatem prorsus coercent; confouent pietatem; tranquillitatem cōseruant inter homines, & concordiam. Nisi testandi modum, & succedendi ordinem leges tradidissent, quæso quid esset de bonis cuiusq. morientis? profectò extraneus quisq. inhiaret, occuparet, diriperet non sine iniuria, impetu, rixa,

rixa, & cæde. Filius careret patre, & patrimonio: cæteri proximiores defunctum hominem lugerent, & res direptas. Ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit; vocat eos ad debitam successionem, l. cum ratio, ff. de bonis damnatorum. Ratio miserationis parentes admittit ad liberorum bona, l. scripto, ff. vnde liberi. Turbato etenim ordine mortalitatis pium est, vt liberis succedant parentes, l. nam etsi parentibus, ff. de inoff. test. At non solùm natura, sed Deus ipse successionem, succedendiq. ordinem docuit, vt enim legitur Num. c. 27. dixit Deus Moysi, ad filios Israel loqueris hæc. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas: si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos: quòd si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius: sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt. eritq. hoc filijs Israel Sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi. Dicebas inuentos fuisse aliquos ex filijs, & proximioribus, qui ob succedendi cupiditatem deliquerunt. Ego quidem non nego aliquorum insolentiam, & temeritatem; sed tu mecum cogites velim, non omnes volucres esse miluos, aut vultures; non omnes homines esse hæredipetas, & testamentorum captatores, qui cadaueribus inhient; qui seniores veneno è medio tollant: qui morientium voluntates adulationibus, & fallacijs aucupentur. quicunque autem hæc tentare audeat, certo scire debet flagitiorum omnium turpes esse exitus. Inueniuntur quidam homines (si tamen humanitatis nomē mereantur) qui pecuniæ studio ita addicti sunt,

vt nulli commodum vllum afferant, dum viuunt: sed dum moriuntur voluptatem, & emolumentum afferunt hæredibus. Si istius generis hominum mors, & hæreditas expectaretur cum lætitia; parum dolendum videretur: quia vt in adagio erat apud priscos, Auarus nihil rectè facit, nisi cum moritur.

Mau. Immo isti Auari non viuunt, dum putant se magnam vitam victuros, interim tempus illos deserit. sed prosequamur alia.

Luc. Subiungebas inuentos fuisse nonnullos, qui, hac facultate testandi, iram, & odium conceptum euomerunt aduersus filios, & proximiores: Illis nempè exhæredatis, extraneos instituerunt. Et ego addo, quòd ex ijs, qui nimium se dedere cupiditati habendi, qui nimiam suorum nummorum curam habuerunt, qui nimio affectu propria bona prosecuti fuerũt: Alij ita inuidos se ostendunt, quòd si possent, se ipsos morientes testamento hæredes instituerent, non alios, provt legitur apud Lucillium de auarissimo Hermocrate, qui moriens in testamento seipsum rerum suarum scripsit hæredem. Alij sunt tam impij, qui si possent, aureos suos secũ deferrent, provt legitur apud Atheneum dipnosophistarũ lib. 4. c. 18. de Lente post med. de quodam insigniter Auaro, qui morti proximus, ne nummos suos alijs relinqueret, multos aureos deglutiuit, vt secum deferret; reliquos verò consuit in sago, & eadem veste se induit, & suis familiaribus iussit, vt eum ita indutum sepelirent, neque vrerent, aut cultũ quempiam adderent. At quemadmodum detestanda sunt istorum exempla, qui nollent bona alijs relinquere; ita etiam detestantur consilia illorum, qui exclusis

clusis proprijs liberis, parentibus, & consanguineis, alios indignos instituunt; & quasi extractis rebus ex propria domo, eas in cloacam projjciunt. Narrat Valerius Maximus lib. 7. cap. 7. de testam. quæ rescissa fuerunt, quòd Vetilius Leno institutus hæres à Quinto Metello, cũ peteret à Prætore Vrbano bonorum possessionem secundùm tabulas testamenti; Prætor non dedit: quia noluit comprobare factum illius, qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecerat: & iura etiam prouident, ne liberi absque causa exhæredentur, ne parentes debita portione priuentur, ne prætermissis fratribus instituãtur turpes personæ. Sed verũ fateri necesse est, qui tàm malè de rebus suis disponant, rari sunt, sicut Corui albi. Vix vno quolibet sæculo inueniri possent duo tam improba testamenta: & ab eis quæ rarò accidunt argumentum sumptum non valet.

Mau. Quia (vt vulgò dicitur) vna hirundo nõ facit ver; nec vnus vir facit ciuitatem; acquiesco. procedamus vlterius.

Luc. Deducebas ex l. 1. C. de his, quib. vt indig. successionem esse quasi speciem vindictæ, & hæredes institutos esse ad finem vindicandi. At ego respondeo, illam vindictam dumtaxat damnabilem esse, quæ priuata fit authoritate: ea enim quæ authoritate publica fit, laudabilis est. legitur in l. 1. C. de precibus Imper. offeren. Quòd seruus quidam accusauit eum, qui occiderat dominum suum, & quia ei obijciebatur seruilis conditio, & inhabilitas adeundi Iudicem; Imperator respondit laudabilis esse exemplum fidei super vindicanda cæde domini. & quoniam d. l. 1. quam allegasti

loquitur de vindicta, quæ fieri debet non occidendo, sed accusando homicidam prædecessoris; ideò illam appellat debitum officium pietatis.

Man Transeant hæc; duriora remanent.

V. De substitutionibus, & earum vtilitate.

Luc. Mox dissoluam. Videbatur tibi durũ, quòd parentes liberam illam, quam ipsi viuentes habuerunt, disponendi facultatem de rebus à prædecessoribus relictis, morituri restringant successoribus suis pluribus legatorum obligationibus, & fideicommissorum vinculis. Insuper tibi mirum videbatur, quòd etiam rudes personæ condant testamenta plena substitutionibus, & clausulis, quas nunquam intellexerunt. Itaq. mecum considera, quòd sicut humanum videtur, vt quisque viuens sit rei suæ moderator, & arbiter, l. in re mandata, C. mand. ita pium est, vt quisque moriens disponat de rebus suis, §. disponat, authent. de nupt. Sed vlterius, religiosum est, vt dum quisque moritur, testamento suo cogitet de anima, de cadauere, de remuneratione beneuolẽtiæ, de obsequiorum compensatione, & de cõseruatione familiæ. In testamentis anima commendatur Deo; Ecclesiastica eligitur sepultura; legatur ad pias causas; donatur amicis causa mortis; reliquuntur aliqua vxori, beneuolis, benefactoribus, & famulis; instituuntur in reliquis, hæredes; substitutiones fiunt, & fideicõmissa. nec est quis tàm rudis, qui hæc nesciat vulgari sermone exprimere; quamuis ignoret terminos legales: neque sunt enim, vt dicebas, enigmata, non dæmonum nomina, suitas, institutio, substitutio vulgaris, pupillaris, fideicommissaria, & cætera; quia sunt termini legales, sunt nomina apta, & idonea ad significandum illam necessitatem,

tatem, qua filij debent succedere in parentum bonis. ad denotandum illam vocationem, quam testator facit de altero hærede, casu quo primus hæres scriptus adire nequeat, vel recuset. ad declarādum illam institutionem, quam facit pater filio decedenti in pupillari ætate. ad exprimendā illam prouidentiā, quam habet quisque de conseruandis bonis in familia, ne diminueretur honor familiæ, si diminuerentur diuitiæ, §. hoc quoque, Instit. per quas person. nobis acquir. Prosequere ergò, Maure mi, animo læto studia cœpta, & videbis quæcunque sunt à legibus sancita, & à Doctoribus conscripta, de successionibus, testamentis, substitutionibus, fideicommissis, & legatis clara esse, & miro ordine disposita, optimisq; rationibus munita: quæ autem difficiliora sunt, miraberis quàm subtiliter, & ingeniosè tradita sint, & explicata. Non nego materiā hanc successionum ipsis Iurisperitis fuisse difficilem, & lucrosam, vt aiebas, sed rectiùs infero ad eius necessitatem, & vtilitatem: cum pro eius explicatione, & discussione facta sint omni æuo tot impendia, impensi sint tot labores. pretiosiores censentur lapides illi, qui vt absolui, & perfici possint, exigunt maiorem laborem, & impensam.

VI. De testamētis, & vndè oriātur lites super eis.

Exortæ sunt plures lites circa testamenta, vt dicebas, quibus (vt puto) causam dedere, vel opposita testatoris inhabilitas, vel scripti hæredis obiecta incapacitas, solemnitatis omissio, defectus formæ, verborum ambiguitas, coniecturata mens testatoris, dubia vocatorum qualitas, proximitas incerta: sed tandem, vel iure medio, vel transactione definitæ fuerūt, & extinctæ. De impensa non est, vt quis conqueratur,

quan-

quando ob rei difficultatem præcessit longus labor, longa discussio causæ. imputet sibi damnum, & dispendia passa, qui testamentum illius, cuius successionem affectabat, voluit impugnare causa dementiæ; quandoquidẽ animaduertere debebat, si quod disposuit testator præ se ferebat, aut mentis sanitatẽ, aut dementiam. refert Valerius Maximus lib. 7. c. 8. quòd quidam Tuditanus notæ insaniæ, vtpotè qui populo nummos sparserat, togamq. velut tragicam vestem in foro trahens, maximo cum hominum risu cõspectus fuerat, ac multa his consentanea fecerat, testamento filium instituit hæredem: quod Titus longus sanguine ei proximior, hastæ iudicio subuertere frustrà conatus est: magis enim centum viri, quod scriptum esset in tabulis, quàm quis ea scripsisset existimarunt. Ideòq. legibus cautum est, vt qui testatoris allegatum furorem, vel insaniam non probauit, succumbat, l. nec codicillos, C. de codicillis. Adscribat propriè culpæ, qui plura dispersit in iudicio, se opponens testamento patris, matris vè; ea ratione, quia minus sibi relictum fuerit, quàm alteri fratri. contentus enim esse debebat, si legitima portio ei non fuerit adempta. & in omni casu, quòd meliùs fuisset tacere, exemplum affert idem Valerius Maximus d. l. 7. c. 8. Eburcia Lutij Merenij Agrippæ vxor condidit testamentum plenum furoris; nam cum haberet duas simillimæ probitatis filias Pletoniam, & Aphroniam, animi sui potiùs inclinatione prouecta, quàm vllis alterius iniurijs, aut officijs commota, Pletoniam tantummodo hæredem instituit. Aphronia autem cum sorore contendere noluit; sed testamentum matris, patientia honorare,

quàm iudicio conuellere ſanctiùs eſſe duxit: eò ſe ipſam indigniorẽ iniuria oſtendens, quò eam æquiore animo ſuſtinebat. Tandem quiſquis ſit, qui vel teſtamentum validum euertere, vel inualidum ſuſtinere audeat: ſcire debet ſibi euenturum, quod cani oſſa mordenti, qui dentes conſumens nihil comedit. Vis plura de hac re?

Mau. Fateor neceſſariam fuiſſe ſucceſsionẽ. At ſi verum ſit leges tradidiſſe congruum ſuccedendi ordinẽ; intelligere nequeo, qua ratione permiſſum ſit, vt proximus morti, inter tot anguſtias dolens, tremulus, pauidus, balbutiens, ſuo teſtamento vel blanditijs vxoris, vel alterius interrogationibus inductus, à iuſto legis pręſcripto ineptè recedat. Pro commendatione animę opus eſſe videtur oratione, & pœnitẽtia, potius quàm teſtamento. Superuacaneum videtur diſponere de cadauere, de pompa funerali. Cura ſepeliendi, proprij eſt Parochi. Eluſoria redditur voluntas conſeruandi bona in familia; quandoquidem ex fideicõmiſsis medietatem conſumunt legitima, & Trebellianica: reliquum autem lites abſorbent; & non rarò accidit, vt Principes fideicommiſsis derogent, commutent vltimas voluntates. VII. Quam vtile ſit, & cõueniens teſtari.

Lyc. Naſcimur nudi, laboramus induti, nudi quieſcimus. Ebrij ſunt illi, qui in nocte ſomno cedunt induti. At nulla eſt eorum quies. Quiſque prudens dormiturus, ſpontè veſtes deponit, ne alias vi ab alijs, præreptus ſomno, ſpoliaretur. Mors eſt ſomnum, eſt dormitio. Naſcentes nihil attulimus, viuentes laboramus, morientes nihil nobiſcum ferimus: qui igitur cogitare debet de morte, de quiete, neceſſe eſt, vt ſe

veſti-

vestibus exuat, deponat terrenorum affectum, fortunas suas spontè distribuat pauperibus, amicis, & proximis: ne fortè affectionibus humanis inuolutus, morti cederet; &, eo quasi inuito, absque vllo animæ suffragio, diriperetur eius hæreditas. Iura statuunt succedendi ordinem casu, quo quis decedat intestatus. at illis, qui testari volunt, rectam præscribunt formã, qua non seruata, testamentum reijciunt, vel vti iniustum, nullum, irritum, ruptum, vel inofficiosum; vtpotè, quando filius præteritus est, quando conditur testamentum à persona intestabili, quando instituitur indignus, & quando legitima portio non relinquitur titulo Institutionis: prout ex legibus, & Doctorum interpretationibus tu ipse percipies. Corporis languor rarò officit intellectui, & pauor mortis minuitur pia dispositione, pijs legatis, & deuota misericordiæ diuinæ recordatione. Qui boni sunt, & prudentes, non admodum turbantur mortis timore: sciunt eã à nemine euitari posse, eamq. non esse formidandã amplius cõfitentur, quàm Saluator deuinxit. quo fit, vt fidelibus aliud non sit mors, quàm carceris eductio, hostis deiectio, exilij terminatio. Homini iniusto amara est memoria mortis, at mors iustorum pretiosa in conspectu Dei. Serui sunt mortis, qui mori timent, sed qui ingenuo sunt animo, non curant quo tempore eorum vita finiatur: Considerant vitæ istius miserias quàm maximas, sciunt cuilibet viuenti innumerabiles penè mortes imminere, & incertum esse, quænam illarum futura sit; ideòq. iucundius putant, vnã moriendo perpeti, quàm omnes viuendo timere, atque ita quod vitare nequeunt, constanti ferunt animo:

iuxta

iuxta illud carmen relatum per Archidiac. in c.quàm præposterum, 13. q. 2.

Quod vitare nequis, constanti suscipe mente;
Dum quoque dura fuit, mors tibi leuis erit.

Blandis verbis inducere aliquem ad testandum, iniquum non est; dummodò absit dolus, l. fin. ff. & C. si quis aliquem testari prohib. Illa commendatio animæ, quæ Deo fit in vltimo elogio, aliud non est, quàm oratio,& pœnitentia. Habetur in c. perfecta, de pœnit. dist. 3. tunc perfectam, & fructiferam esse pœnitentiam, quando in corde peccatoris est contritio,in ore confessio,& in opere humilitas. Vera testatoris est contritio, quando animam Creatori offert, & commendat. Vera est confessio, quando se agnoscit, profitetur miserum peccatorem,& moriturum. Vera est humilitas, quãdo cogitat, & disponit de cadauere, de sepultura. Nec quisquam putare debet,extremam hanc testatorum orationem, & pœnitentiam à Deo respuendam fore: quandoquidem iustus est, & misericos Dominus: & non solùm temporis, sed etiã cordis est inspector. & grata fuit pœnitentia Latronis: quia cũ esset in pœna,pęnituit, c.si presbyter, & c. seq. 26. q. 6.

VIII. Quantũ proficit in testamẽto disponere pro anima,& legare ad pias causas.

Quantum autem proficiant, & suffragẽtur animabus defunctorum pia relicta, orationes,& sacrificia, addiscimus ex lib.2. Machab.c. 12. in fin.in his verbis. Iudas facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè,& religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderunt resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mor-

mortuis: & quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Legimus in c. non æſtimemus, 13. q. 2. nihil aliud ad mortuos peruenire, niſi quod pro eis ſiuè altaris, ſiuè orationum, ſiuè eleemoſynarũ ſacrificijs ſolemniter ſupplicamus, & in c. animæ, eadem 13. q. 2. dicitur, animas defunctorum quatuor modis ſolui, oblationibus Sacerdotum, Sanctorum precibus, eleemoſynis charorum, cognatorum ieiunio. Refert Polidorus Virgil. de Inuentor. rerum, lib. 6. cap. 9. quòd circa annum milleſimum, quidam Odilo Præfectus Monachorum Cluniacenſium in Sicilia, audiebat frequenter gemitus, & clamores circa Ætnam montem, vbi dicitur eſſe aditum ad inferos; & ibidem in ignea voragine ſontium animas expiari: & ratus fuit Cacodęmones lamentari, quòd per preces, & ſacrificia Chriſtianorũ animæ mortuorum ab illis ſupplicijs liberarentur. Itaq. egit cum ſuis Monachis, vt poſtquam Kalendis Nouembris in Sanctorum Omnium honorem ſacrificaſſent, ſequenti itidem die omnibus defunctis iuſta facerent. quod inſtitutum vti pietatis plenum, Patres demùm receperunt.

IX. Quàm vtile ſit prouidere de cadauere ſepeliendo.

Cura cadaueris, funeralis pompa, parentatio, nullatenus cenſeri poſſunt res ſuperuacaneæ: quandoquidem nulla gens fuit, quæ aliquam conſuetudinem ſepeliendi mortuos, eosq. lugendi, non receperit. Ægyptij defunctorum cadauera vnguentis perungebant, ne putreſcerent: qui mos, & hiſce temporibus apud Principes durat. Romani certum tempus luctus ſeruabant,

uabant, & parentabant ad ſepulchrum, quod indicat Cicero in prima Philippica, dicens, Vt cuius ſepulchrũ nuſquàm extet, vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur. Et quantùm conueniat mortuos honorare tumulo, & ſacrificio, cognouit etiam Ouidius, quaſi tamen cœcutiens, quando lib. 2. Faſtorum dixit.

Eſt honor, & tumulis animas placare paternas;
Paruaq. in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes: pietas pro diuite grata eſt
Munere: non auidos ſtyx habet ima Deos.

Hebræi fleuerunt Moyſen triginta diebus, vt in Deuteron. c.vlt. & Dauid, & cæteri, qui cum eo erant audita morte Saul, & Ionatę fleuerũt ſuper eos, 2. Reg. c. 1. Et fratres Iudæ, qui obierat eum ſepelierunt; & omnis populus Iſrael fleuit eum planctu magno, lib. 1. Machab. c. 9. Tempore Apoſtolorum obijt Tabitha, diſcipula illa, quę opera bona faciebat, & eleemoſynas: & diſcipuli eam lauerunt, & poſuerunt in cœnaculo, quã poſteà ſanctus Petrus virtute Dei ſuſcitauit. Act. Apoſt. c. 9.

Mau. Res ſanè lachrymis digna eſt, propter fœtorem, & corruptionem cadaueris, fugiendum eſſe illum, cuius aſpectus tam gratus erat, tam dulcis conuerſatio, familiaritas tam chara. Ferri ad tumulum hominem illum, qui viuens ſibi, coniunctis, amicis, & patriæ ſuo ingenio, ſua virtute, opem ferebat; miſerabilis res eſt: commouet quemuis ad fletum.

Luc. Duplex ratio eſt (vt putò) quæ ſuadet, vt mortuos defleamus: quia ipſi luce, & nos eorum ſocietate orbati ſumus. Sic ait Eccleſiaſticus c. 22. Super mortuum plora, defecit enim lux eius, & c. 38. Fili in

mor-

mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare. At sicut nulla gens fuit; quæ mortuos non fleuerit, ita nulla fuit, quæ consolationi locum esse debere non cognouerit. Gentiles considerabant, mortem esse communem, nec posse mortuos lachrymis ad vitam reuocari. Vndè dixit Horat. lib. 1. Carminum, Oda 4. ad P. Sestium.

Pallida mors æquo pulsat pede, pauperum tabernas,
Regumq. turres:

Et Ouidius in consolatione ad Liuiam.

Supprime iam lachrymas: non est reuocabilis istis:
Quem semel vmbrifera nauita lintre tulit.
Sed rigidum ius est, & ineuitabile mortis.

Et Propertius eodem consolationis genere vtitur lib. 4. Eleg. ad Paulum.

Desine Paule meum lachrymis vrgere sepulchrum:
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat Aulæ
Nempè tuas lachrymas litora surda bibent.

Valer. Maximus lib. 5. c. 10. de Anaxagora, benè considerat à rerum natura cuilibet, & accipiendi spiritus, & reddendi eodem temporis momẽto legem dici: & neminem posse mori, qui non vixerit: nec aliquem viuere, qui non sit moriturus. Hebræi consolabantur alia ratione: quia lege didicerunt, mortem, & vitam in manu Dei esse, & mortuos requiescere in Domino, vndè dicitur in Leuit. c. 19. Super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stygmata facietis vobis. Ego Dominus. & in lib. Ecclesiast.

c.22. Modicum plora supra mortuum, quoniam requieuit. Christiani autem consolantur eisdem, & alia insuper ratione meliori, quia firmissimā habent spem futuræ resurrectionis. Scribit Apost. ad Thessalonic. epist. 1. c. 4. Nolumus vos ignorare, fratres, de dormiētibus, vt non contristemini, sicut, & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo: & legitur in c. quàm præpo- . 25.
sterum, 13. q. 2. Fratres nostros non esse lugendos accersione Dominica de sæculo liberatos: cum sciamus, non eos amitti, sed præmitti; & recedentes præcedere, vt proficiscentes, & nauigantes solent. & in c. ha- . 27.
bent, eadem 13. q. 2. dicitur, Habent forsitan illi iustam longi doloris excusationem: qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc sæculo ad meliùs esse transitum non confidunt. Nos autem, qui nouimus, qui hoc credimus, & docemus; contristari nimium de obeuntibus non debemus: ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit.

Mau. Istæ consuetudines lugendi mortuos tumulandi, & parentandi; etsi apud homines vsque ab initio viguerint, nihil tamen mortuis proficiunt.

Luc. Dicitur in c. non æstimemus, 13. q. 2. Corpori humando quicquid impenditur; non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm affectū, quo nemo vnquam carnem suam odio habet. Vndè oportet, vt quam potest pro carne proximi curam gerat, cum ille recesserit, qui gerebat. & si hæc faciunt, qui carnis resurrectionem non credunt; quantò magis debent facere, qui credunt? vt corpori mortuo, sed

tamẽ resurrecturo,& in ęternitate mãsuro, impensum eiusmodi officium, sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium, & in c. animæ, eadem 13. q. 2. Dicitur, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis viuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa; oberit pio vilis, aut nulla. Intestatus decedens debet sepeliri, vel in sepulchro maiorum, vel in propria Parochia: volens autem testari potest sibi illam eligere, c. 1. de sepult. Tobias cum moriturus esset, vocauit ad se filium suum Tobiam, dixitq. ei. Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentũ construe. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, Tob. c. 4. Et Ioseph moriens in Ægypto rogauit fratres suos in hęc verba. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto, Gens. c. vlt. in fine; vbi subiungitur: Et mortuus est expletis centũ decẽ vitæ suæ annis,& conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto. De Iure Ciuili prohibitum erat sepeliri corpora mortuorum in Ciuitate, l. mortuorum, C. de relig. & sumpt. fun. Et puniebantur illi, qui in Ciuitate sepulchrum faciebant, l. 3. §. Diuus Adrianus, ff. de sepulchro viol. Ratio erat, ne Ciuitas fętore corrumperetur. At Iure Canonico inductum est, vt in Ecclesijs sepeliantur, cuius instituti triplicem rationem affert glos. in c. cum grauia, 13. q. 2. Prima ratio desumitur ex d. textu ibi, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur; quòd eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt; nam quos peccata grauia depri-

deprimunt,nõ ad abſolutionem potiùs, quàm ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in Eccleſijs ponuntur. Altera eſt,quia ſpecialiter commendantur patrocinijs Sanctorum illorum, in quorum nomine dedicata eſt Eccleſia illa, & hæc ratio deſumitur ex c. non æſtimemus, 13.q.2. in fine, ibi, quòd verò quiſque apud memoriam Martyrum ſepelitur; hoc tantùm videtur prodeſſe defuncto,vt cõmendans eum etiam Martyrũ patrocinio affectus pro illo ſupplicationis augeatur. Vltima eſt, quia minus ibi vexantur à ſpiritibus immundis, quæ colligitur ex c.aurum, 12. q. 2. ibi, In ſepulturis Chriſtianorũ requies defunctorum eſt. Et propterea ſi quis eligeret ſibi ſepulturam extra locum ſacrum,vana eſſet electio. ſicut etiam ſi quis iuberet, ſuum cadauer deferri ad ſepulturam alia, quam religioſa pompa, & vſu recepta, inanis eſſet iuſſus. Dicitur in c. qui diuina vocatione, 13.q.1. Mortui cum Pſalmis tantummodo,& pſallentium vocibus debent ad ſepulchra deferri; nam funebre carmen,quod vulgò defunctis cantari ſolet, vel in pectoribus ſe, aut proximos, aut familias cędere, omninò prohibemus; ſufficiat autem,quòd in ſpe reſurrectionis, Chriſtianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum. & cauetur in l. non oportet, c. de his,quib. vt indign. ne priuetur hæres ſucceſſione, qui voluntati teſtatoris in ſepultura non obtemperauerit, quando ſcilicet (vt ibi gloſa ſupplet) voluntas fuit minùs legitima.Refert ibidem Paulus de Caſtro, quendam Doctorem Paduanum, mandaſſe ſuum corpus ſepeliri cum tubis, & indui familiam de roſato. quam diſpoſitionem beſtialem appellat, &

minimè ſeruandam dicit: tanquam contra communem vſum hominum. Venit in mentem pulcher textus in l. quidam,ff. de condit.inſtit. Quidam in ſuo teſtamento hæredem ſcripſerat ſub tali conditione: ſi reliquias eius in mare proijceret. quæritur,an hæres inſtitutus priuandus ſit hæreditate, cum non paruerit conditioni: in hæc verba reſpõdet Modeſtinus. Laudandus eſt magis, quàm accuſandus hæres, qui reliquias teſtatoris non in mare ſecundùm ipſius volũtatem, abiecerit; ſed in memoriam humanæ conditionis ſepulturæ tradidit & vt in textu ſubiungitur, Teſtator,qui talem conditionem appoſuit,non præſumitur fuiſſe mentis compos: ideòq. hæres ſcriptus neceſſe habet talem ſuſpicionem perſpicuis rationibus amouere; quando legitimus hæres de hæreditate controuerſiam faciat.

Mau. Conuenit ergò, vt teſtator eligat ſibi Eccleſiaſticam ſepulturam: ſed quid prodeſt,vt fideicommiſſum faciat (ſi vt dixi) facilè euerti poteſt?

Luc. Legitimam tollere fideicõmiſſum propriè dici nequit: ea enim reijcit omne onus, & grauamen; & ſuper ea fideicommiſſum non cenſetur appoſitum, l. quoniam in prioribus, C. de inoff. teſtam. Trebellianica pariter propriè dici non poteſt, quòd minuat fideicommiſſum; quia teſtator quando vult,poteſt illam prohibere, iuxt. not. in auth. ſed cum teſtator, C. ad l. Falcid. gloſ. in §. ſed quia ſtipulatio, in verbo, liceat, Inſtit. de fideicom. hæredit. quam ſi non prohibeat, non videtur illam fideicommiſſo ſupponere. Principes haud faciles ſunt in commutandis vltimis voluntatibus, & cum maiori difficultate ſolent fidei-

com-

commissis derogare: & nisi consentiant ij, quorum interest, precibus petentium non annuunt: & si aliquando commoueantur; nihil agunt, nisi re benè discussa, & (vt inquiunt) cum grano salis. Et quando id ratio suadet, non est, vt quis conqueratur, quia si Principes debent viuentium gesta corrigere; æquum est etiam, vt morientium voluntates ad debitum rationis, & æquitatis modum, quando opus sit, reducant.

Mau. Hoc transeat. Anceps sum: cur homines cogitent de agnatione conseruanda, de præferenda linea masculina fœmininæ. qui enim talem differentiam inducunt, quasi naturæ accusatores existunt, cur non totos masculos generauit, vt vndè generentur non fiant, mulieres scilicet, vt dicitur in l. maximum vitium, C. de liber. præter. & ibi glos. subiungit. Ait Apost. ad Galat. c. 3. Omnes filij Dei estis per fidem; non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus, neque liber; non est masculus, neque fœmina.

X. Quantũ conueniat dispo nere pro cõseruatione agnationis.

Luc. Vtique seruatur æqualitas inter masculum, & fœminam: eodem enim modo procreatur, & alitur masculus sicut fœmina. Legitima portio eodem iure institutionis relinquenda est vni, sicut alteri. quòd superest, stat in libera testatoris voluntate, qui vt magis prospiciat propriç, quàm alterius agnationi, omnis ratio suadet. Præcepit Deus Moysi, vt in successione primum locum daret filio masculo, secundùm fœminæ, vt Num. c. 27. Fœmina autem nubere non poterat extra propriam Tribum, ne de vna in aliam familiam possessio bonorũ egrederetur, vt legitur eod. lib. Num. c. vlt. Hinc est, vt diuersæ Ciuitates rationabiliter statuerint, quòd stantibus masculis, fœminæ nõ

succedant, vt sic prior sit successio masculorum, & ne facilè contingeret, quòd forensibus nuptæ bona nedum extra agnationem, sed etiam extra Ciuitatem transferrent. Immo æquissimum visum est, vt personæ nobiles erigant primogenituras; quibus familiæ decor faciliùs conseruetur. quod euenit si vnus in familia præcipuus sit, qui cæteros alat, & tueatur: alioquin diuisis opibus, nemo esset, qui dignitatem familiæ posset omninò sustinere.

XI. Quàm necessariũ sit testatoris voluntatem ex coniecturis interpretari.

Mau. Si testator expressè hoc agat, nũc tuis rationibus motus, haud graue puto, quòd seruetur: sed qua ratione leges, & Doctores velint ex coniecturis defunctorũ intentionem colligere, & modò in vnam, modò in alteram partem trahere, adhuc non intelligo.

Luc. Quando verba sunt clara, nõ est locus cõiecturis, l. non aliter, ff. de leg. 3. Ius semper est certũ: sed de facto plerumq. dubitatur, l. 2. ff. de iur. & fact. ignor. Et ideò cõiectura circa quęstiones facti dũtaxat, versatur. Rhetores vocãt statum coniecturalẽ, quãdo ex coniecturis quęritur, an aliquid factũ sit, Cic. ad Heren. lib. 1. Quando igitur dubitatur, quidnam senserit testator, stante ambiguo eius sermone, necessariò recurrendũ est ad coniecturas: dum enim quicquid verè voluerit, nõ apparet; necesse est, vt saltem colligatur, quicquid verisimiliter velle potuerit. Et hoc effici non potest, nisi ex coniectura; quæ est opinio veri, deducta ex probabili signo. Est quidam mentis conceptus vel Iudicis, vel iuris authoritate comprobatus. Est rei dubiæ rationabilis præsumptio, lege approbata, ad aliquid in animo figendum. Est opinio, quę in animo Iudicis, vel cuiuscunque concipitur, ex varijs argumentis, coniecturis,

ćturis, vel iudicijs. Eſt animi motus, per quem cogitur apparentiam ſequi, donec contrarium probetur. Eſt rei latentis iudicium, quod quis per rationes, & ſigna, & tempora conijcit. Eſt veriſimilitudo quædam probabilis animum inducens ad aliquid opinandum. Eſt rationabile veſtigium latentis veritatis, vndè naſcitur opinio Sapientum. Et quia nihil proprius eſt humani ingenij, quam in dubijs conieċtare, conijcere, opinari, & ex ſignis, veriſimilitudinibus, probabilibus indicijs latentem veritatẽ eruere, veriſimilemq. agẽtis intentionem colligere; dicẽdum eſt, conieċturas vltimarum voluntatũ neceſſariò, & vtiliter ſumẽdas eſſe.

Mau. Hoc dolendum eſt, quia ſæpè euenit, vt aſſumatur conieċtura, quæ verę teſtatoris menti repugnet.

Luc. Non nego, id aliquando contingere poſſe; quia animus cuiusq. deficientibus verbis, ſciri non poteſt. At ſatis eſt, ſi non abſit veriſimilitudo; quamuis veritas abſit: dum enim veritas ignoratur, ſubintrat conieċtura, quæ non adaptatur, niſi rebus veriſimilibus. & quando plures, & diuerſæ conieċturæ deſumi poſſunt, tunc præferenda eſt ea, quæ legum authoritate magis comprobatur. Quam rem vti latiſſimam, modò non poſſumus paucis compleċti.

Mau. Dixiſti ſatis, vnum ſupereſt, ſi teſtandi vſus tàm neceſſarius eſt, & vtilis: cur homines teſtari negligũt? cur differunt ad extremum? XII. Cur homines teſtari negligant, & differant ad extremum.

Luc. Voluntas hominis (vt dicunt) eſt ambulatoria vſque ad mortem: & non permanent res in eodem ſtatu: ſed quotidiè multa de nouo accidunt. Hinc eſt, vt teſtamenta anteà condita, aut diuerſo reuocentur, aut ſaltem declarentur in codicillis.

Mau. Addo aliam rationem; vita dulcis eſt, & mors amara. Ideò non deſunt, qui odio habeant memoriam mortis, qui veniente die, mori velint inuiti.

Luc. Seruus ille, qui cũ triſtitia duceretur ad conſpectum domini, poſſet ne ſperare pręmium?

Mau. Nequaquam, ſed damnatione dignus eſſet.

Luc. Acriter ergò reprehendendi eſſent illi, qui accerſiti, reluctarentur diuino imperio; qui libenter nõ parerent; & quaſi peruicaces ſerui, indigni eſſent venia; ſperare nequirent honorari cæleſtibus pręmijs à Domino, ad quem accederent inuiti, & cum mœrore. Textus eſt in c. quàm præpoſterum, 13. q. 2. Vis plura de hac re?

Mau. Sat habeo. reliquum eſt, vt dicamus de Iudicijs.

Luc. Occubuit Sol, dicemus in ſequenti.

Mau. Placet. Vale.



SEPTI-

SEPTIMVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Luc.  I rectè ſum memor, dicebas Iudicium inuentum, non vt ſuccurratur hominum malis; non vt ſuum, cuiq. tribuatur: ſed vt coaleſcant inter homines ira, furor, & cupiditas. liberam accuſandi facultatem dari putabas, vt quiſque poſſit de inimico vindictam ſumere, calumniari, obijcere falſa crimina: & ſi quandoq calumnia puniretur, aiebas nihil prodeſſe, quaſi non dimittatur innocens ſine iactura. addebas, agendi liberam facultatem concedi, non vt tribuatur ſuum cuique. Conſiderans quãta abſorbeant mercedes Notariorum, Procuratorum ſalaria, honoraria Aduocatorum, Iudicum ſportulæ. enumerabas duros caſus litigãtium, ex quibus alij, vel probationum defectu, vel imperitia patrocinantium, vel Iudicum nequitia, cauſas amittunt. Alij ob minimam etiam contumaciam à iudicio repelluntur. Alij ob grauitatem expenſarum recedunt à lite. Alij deniq. bonum ius, quod fouent, non niſi poſt plures inſtantias obtinent. Ex iudicijs aſſeuerabas, oriri controuerſias, lites, falſitates, periuria, & homicidia; quæ omnia deteſtata ſunt iure diuino, & naturali. Tandem mirabaris, quare iudicandi facultas tribuatur homini, qui ſuaptè natura cupidus, inuiduſq. eſt. aiebas perindè eſſe, ac ſi famelico toxicum, vel furenti enſis præponeretur.

Mau. Hæc dicebam, nec pauci ſunt qui idem dicunt.

Luc.

I. Lucius respondet ad opposita cõtra iudicia, quæ oſtẽdit à Deo proceſſiſſe, & à natura.

Luc. Erras tu, errant illi. Tranſgreſſor diuini præcepti, ne iudicaretur inauditus, Deus eũ vocauit, Adam vbi es? Geneſ.c.3. Ædificãtes Turrim illam, cuius culmen pertingere deberet cælum, ne damnarentur ex abrupto, & quaſi non conſtito de corpore delicti, Deſcendit Dominus, vt videret Ciuitatem, & Turrim quã ædificabant filij Adam, Gen.c.11. Habitatores Ciuitatum illarum, quę meritũ incendium paſſæ fuerunt; ne punirentur, abſque cauſæ cognitione: Dixit Dominus ad Abraham, Clamor Sodomorũ, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: Deſcendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, Gen.c.18. Filij Iſrael, cũ de Ægyptijs conquererentur, & clamarent ad Dominum; Deus ne videretur procedere querela nondũ iuſtificata, dixit ad Moyſen; Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus: & ſciens dolorẽ eius, deſcẽdi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorũ, Exodi c.3. Natura docuit cætera animãtia, vt ſe tueantur, congruaq. arma tradidit: ideò equus offendentẽ, calce percutit; canis dentibus mordet; boues cornu iniuriam vindicant, l.1. §. ſed etſi canis, & §. at ſi cum equum, & §. cum arietes, ff. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Homines autem natura ad defenſionẽ inſtruit, non ad vindictam, non arma dedit, quibus offendant. Hoc tantùm præſtitit, vt vim vi repellere poſſint, l. vt vim, ff de iuſtit. & iur. Hinc homines cognouerunt duo neceſſaria eſſe, pro humanę ſocietatis conſeruatione, quòd ſcilicet culpa puniatur, & defendatur innocẽtia, c. quę Lotharius, §. in manifeſtis, 2.q.1.

Et

Et introduxerunt Iudicium, actum illum trium personarũ, Actoris, Iudicis, & Rei, c.forus, §. in omni quoque negotio, de verbor. signif. Vt si vnus accuset, alter defendat, l. qui accusare, C. de eden. Si agat vnus, excipiat alter, l. in tribus, ff. de iudiciis. Inuenerunt actionem, ius illud persequendi in iudicio, quod sibi debetur, §. 1. Instit. de act. Inuenerunt itidem exceptionem, ius illud se defendendi, & actionem excludendi, l. 2. ff. de except. In huiusmodi autem Actoris, & Rei contentionibus, necessarium fuit interponere Iudicem, personam illam publicam, quę publica auctoritate ius diceret, & quod iustum foret exequeretur, c. 1. 23. q. 2. Tumultus quàm maximus fieret, si quod ad Magistratum pertinet, singulis concederetur, l. non est singulis, ff. de reg. iur. Augeretur offensi rabies, si ei liceret iniuriam suo marte vindicare, l. vnica, C. ne quis in sua causa iudicet. Inualesceret creditoris auiditas, si negantem debitorem, propria authoritate vrgere pôsset, & deterrere. l. negantes debitores, C. de act. & oblig. Optimè igitur legibus cautum est, vt nemo sit Iudex in propria causa, l. qui iurisdictioni, ff. de iurisdict. omn. Iud. Nemoq. iudicet tanquam priuatus, sed tanquam publica persona, & secundùm acta, & probata, l. illicitas, §. veritas, ff. de offic. Præsidis. Ideòq. Iudici, non alteri debent fieri probationes, l. quingenta, in fine, ff. de probation. Qui si nihil ei constaret, nihil decernere posset, l. 1. cum glos. fin. in fine, C. de bon. possess. secundùm tabul. At quoniam partes nunquam faterentur, sed semper negarent, l. inter stipulantem, §. 1. in fine, ff. de verbor. obligat. Opus fuit alias personas addere, Notarios scilicet,

Ta-

II. Probat in Iudicijs necessarios esse Tabelliones, Procuratores, & Aduocatos, & ostēdit quid accidat caluniantibus.

Tabelliones, Actuarios, qui iudiciorum acta fideliter conscribant, ex quibus veritas possit declarari, c. quoniam contra, de probat. Factis hinc indè probationibus per scripturas, per testes, & alio quouis modo, c. forus, vers. probatio autem, de verbor. signific. duplex oritur quæstio, facti scilicet, & iuris, l. eum quem temerè, §. Iudicibus, ff. de iudicijs. Quò circa constituuntur Procuratores, qui de facto contendant. Adhibentur Aduocati, qui de iure disputent. Interponuntur Iudices, qui veritatem inuestigent, l. is apud quem, C. de eden. Iura non admittunt accusantes, nisi ad pęnam talionis se inscribant, l. qui crimen, C. de his, qui accusare non poss. Æquum est enim, vt alterutram partem, accusati, vel accusatoris, terrere possit digna legum auctoritas, l. in causis, C. de accusat. & inscript. Et iustum est, vt qui non probauit, quod obiecit, pœnā, quam intulerit, ipse patiatur, c. qui crimen obijcit, 2. q. 8. Instigatores non se inscribunt, at calumniatorum non euadunt pœnas, si de calumnia conuincantur, tot. tit. ff. & C. de calumniat. c. 1. & 2. extr. eod. Istorum temeritas tribus modis detegitur, aut enim calumniantur quando intendunt falsa crimina, aut præuaricantur, quando abscondunt vera crimina, aut tergiuersantur, quando ab incepto desistunt, l. 1. ff. ad Sen. Cons. Turpill. Non capitur, non inquiritur quisquam, nisi præcedant informationes, & indicia. Ideòq. si accidat, vt innocens repertus dimittatur post aliqua passa incommoda; non est imputandum legibus: nemo est enim, qui detrahat medicinæ, quando infirmitatis periculum euasit, etiam post dolores, & sumptus. Iudicum proteruiæ, litigatorum temeritati, om-

omninò leges occurrunt,l. 1.C.de pœna Iud.qui malè iudic. §. 1. Instit. de pœna tem. litigan. Et in omni casu solicitę sunt, vt per eos, qui in iudicio succubuerunt, restituantur fructus, damna resarciantur, reficiantur expensæ, l. 2. C. de fruct. & lit. expens. Si in foro cõtendentibus hæc necessaria sunt, Tabellionum opera, Causidicorum prudentia, Aduocatorum scientia, Iudicum disceptatio; hæc etiam necessaria esse debent, merces, salarium, honorarium, sportulæ. Si damnandi essent illi, qui hæc supra modum cuperent extorquere; magis detestanda esset illorum tenacitas, & ingratitudo, qui laborem præmio compensare denegarent. Res deploranda non est, si probationum defectu quis in iudicio, quod volebat, non obtinuerit: quia dum nihil apparet, non deficit ius, sed probatio, l. duo sunt Titij, ff. de testam. tut. & Actore non probante, conuenit, vt reus absoluatur, l. qui accusare, C. de eden. Et, vt vulgò dici solet, quæ sunt extra acta extra mundum existunt. Qui causas amittunt, vel ob patrocinantium imperitiam, vel ob Iudicis malitiam, propriæ adscribant culpæ, cur peritiores non adhibuerint, cur suspectum Iudicem non recusauerint. Contra contumacem omnia iura clamant; contumax autem regulariter causam non amittit, sed condemnatur in expensis, l. & post edictum, ff. de iudic. Qui ob grauitatem expensarum recedunt à lite, sibi consulunt, & nemini sunt molesti. Qui bonum ius fouẽt, si illud non consequantur, nisi post plures instantias, absurdum non est: quia sententia non facit ius, nisi transierit in iudicatum, l. 1. ff. de re iud. Non perficitur aurum, nec argentũ sine sumptu, & labore. & magis

III. Cur necesse sit, vt deficiens in probatione succumbat in iudicio.

glo-

gloriosa censetur victoria, quando non fuit incruenta. Si in iudicijs quandoq. accidant falsitates, periuria, & homicidia, auctorum improbitas seueræ subiacet Iudicis correctioni. Leges non fouent, sed odio habent

IV. Leges nõ fouent, sed dirimunt lites.

lites. Iudicia nõ sunt causa litium, sed lites dirimunt. Iudices non protrahunt, sed coarctant lites, & qui secus agunt, qui deuiant à tramite iustitiæ, Iudicis nomen perdunt; non enim est Iudex, si non est in eo iustitia, c. forus, vers. non est ergò, de verbor. significat. c. 1. 23. q. 2. Et ad officium Iudicis pertinet, lites diminuere, l. quidam æstimauerunt, ff. de reb. cred. & si cert. pet. Lis odiosa res est, & verecunda cogitatio eius, qui lites execratur, non est vituperanda, l. item si res, §. post autem, ff. de alien. iud. mut. caus. fact. Homines litigiosi permolesti sunt, quia semper diffident, concordiam non diligunt, non amant pacem, §. litigiosus, 90. dist. Ideò leges magnam curã adhibuerunt, ne facilè homines ad litigandũ procederent, & temeritatem tàm agentium, quàm eorum, cum quibus agitur, modò pœna pecuniaria, modò iusiurandi religione, modò infamiæ metu coercent. Cogitur quisque litigator iurare de calumnia, quòd putet se bonam causam fouere. Negans id, quod debet, aliquando cõdemnatur in duplum, & qui succumbunt, in certis casibus ignominiosi fiunt, §. 1. & toto tit. Instit. de pœna tem. litig. Et quia plerumq. lites sunt malum necessarium, ideò iura prouident, vt quàm citò expediantur,

V. Iudex qualis esse debeat, & cur nequeat ex arbitrio procedere.

l. properandum, C. de iudic. Iudicandi potestas homini quidem committitur, non tamen famelico, vel furenti, sed illi qui toga candida indutus magistratum petere, & omni procul timore, cupiditate, odio, & amore,

amore, quę sensus hębetant, & opiniones peruertũt, debet exercere, 3. q. 5. c. accusatores il 3. & 11. q. 3. c. quatuor. Quisque Iudex cogitur omnibus iustitiam æqua lance ministrare, excutere manus ab omni munere, & rectè iudicare, c. qui rectè, 11. q. 3. Bonus Iudex personam non cognoscit, Prouerb. c. 24. Non considerat personam pauperis, non honorat vultum potentis, Leuit. c. 19. Non tollit diuitibus, vt det egenis, c. fortè, 14. q. 5. Cauet ne in quo alterum iudicat, se ipsum condemnet; non agit quæ iudicat, Apost. ad Rom. c. 2. Et cuicunque Iudici iura præcipiũt, ne agat ex propria voluntate, ne aduersetur legibus, ne leuitate, aut furore ducatur in dictandis sententijs, sed opinionem suam iuxta leges concipiat, examinet merita causæ, iuri obtemperet, iudicet sicut audit, & secundùm quod probatum est, sententiam ferat, c. iudicet, 3. q. 7. c. summopere, 11. q. 3. Ait Cic. lib. 3. de legib. Magistratus hâc esse vim, vt præsit, præscribatq. recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus: vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus. vereq. dici potest magistratum legem esse loquẽtem: legem autem mutũ magistratum, & D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 1. ad 2. inquit, Melius est omnia ordinari lege, quàm dimittere Iudicum arbitrio; & hoc propter tria. Primò, quia faciliùs est inuenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, quàm multos, qui requirerentur ad rectè iudicandum de singulis. Secundò, quia illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit; sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subitò exortis: faciliùs autem ex multis cõsideratis potest homo videre,
quid

quid rectum sit, quàm solùm ex vno facto. Tertiò, quia legislatores iudicāt in vniuersali, & de futuris: sed homines, iudicijs præsidētes, iudicant de pręsentibus, ad quæ afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate; & sic eorum deprauatur iudicium. Quia ergò iustitia animata Iudicis non inuenitur in multis, & quia flexibilis est; ideò necessarium fuit, in quibuscūq. est possibile, legem determinare, quid iudicandum sit, & paucissima arbitrio hominum committere. Et inferiùs ad tertium dicit, quòd quædam singularia, quæ non possunt lege comprehendi, necesse est committere Iudicibus; putà de eò, quod est, factum esse, vel non esse; & de alijs huiusmodi. Iosaphat, vt legitur in lib. 2. Paralip. c. 19. constituit Iudices terræ in cunctis Ciuitatibus Iuda munitis, per singula loca præcipiens Iudicibus, Videte, ait, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudiciū, sed Domini: & quodcunq. iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

Mau. Si tales essent Iudices, vtique sufficeret vnius sententia, non plurium plures emanarent, & vt plurimum inter se contrariæ, & diuersæ. Si leges vellent lites coarctare, non permitterent discuti tot, tantaq. inutilia antè cognitionem negocij principalis; non darent tot dilationes; non inducerent tot ferias; non reciperent tot appellationes; nullitates vti nō tangentes bonū ius, non admitterent; non restituerent quemquam aduersus rem iudicatam; minusq. sinerent executionem impediri, quando quis se recipit in domū, vel

vel in Ecclesiam, vel quando quis extorquet nongrauetur, moratorias, inducias, inhibitiones, cartas dotales, quæ, velut calumniosa subterfugia, protrahunt lites ad annos Noe; ita vt nullus sit eorum exitus, nullus dispendiorum finis.

Luc. Controuersiæ modicæ quantitatis ab inferioribus, Iudicibus, omni ordine seposito, terminantur; cũ de modica summa modica habenda sit consideratio, l. si oleum, §. fin. ff. de dolo malo. Quæstiones de momentanea possessione, quando scilicet quæritur, quis interim in possessione esse debeat, summarijssimè expediuntur, l. 1. C. si de momentan. poss. fuer. appellat. Causæ executiuè citò terminantur: quia nullam exigunt Iudicis cognitionem; ex quo constat debitum esse id, quod petitur: itavt nullæ aliæ sint partes Iudicis, nisi in exequendo: Executor enim est ille qui, audita, & discussa omni lite, nullam fert sententiam, sed rem dispositam ad effectum deducit, l. executorẽ, C. de execut. rei iudic. Tunc autem res disposita, & exequenda dicitur, quando debitor conuictus, & condemnatus est in iudicio, l. fin. C. eod. tit. Et quamuis instrumenta de iure communi non habeant vim rei iudicatæ, l. minor annis 25. ff. de min. tamen quando in instrumento debitor coram Notario, quasi coram Iudice, fatetur se debitorẽ, & ipse quodãmodo præcipit ei, vt soluat, provt fit in instrumentis, quæ habent formam guarantigiæ, tunc locus est executioni; quia confessi in iudicio habentur pro condemnatis, l. post rẽ iudicatam, ff. de re iud. Et inconfessum non est ferẽda sententia; sed danda est ei dilatio ad soluẽdum, l. si debitori, ff. de iudic. Similiter quãdo in instrumẽto se

VI. Iudicia executiua, & possessoria habẽt celerem expeditionẽ.

S obli-

obligat quis tanquã debitor Fiscalis, provt fit in instrumẽtis, quæ habent obligationẽ in forma Cameræ, executiuè agitur: quia debitores Fisci nulla exceptione, nec appellatione, possunt solutionẽ differre, l. abstinẽdum, C. quorum appellationes non recipiuntur. Lites super possessione, vel adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda, non multum durant, sunt summariæ, dãtur breues dilationes, & appellationes vt plurium non admittuntur; nec mirum est, quia quæstiones istæ possessoriæ, rem non finiunt, sed præparant causam proprietatis: Ideòq. dicuntur interdicta possessoria, quasi non ad perpetuum, sed ad tempus, & interim seù inter duos dicta de possessionibus, donec de proprietate constet, §. 1. Instit. de interdict. l. 3. in fine, ff. de liber. exhiben.

VII. In causis petitorij periculosa est celeritas, & ordo iudiciarius necessarius est.

Causæ petitorij rem finiunt, in eis proponuntur actiones, & exceptiones; requiritur cognitio, & discussio causæ; sunt magni præiudicij; & ideò in illis terminandis periculosa esset celeritas, & festinatio. At quoniam vbi non est ordo, ibi est confusio, necessariũ fuit, vt lex præscripserit ordinem iudiciorum, vt actor citet, & vocet reum ad iudicium, d. l. 1. ff. de in ius voc. & petat ab eo, quid velit, libellumq. offerat, auth. offeratur, C. de lit. contest. Reus autem compareat, nec contumax sit, l. 2. ff. si quis in ius vocatus nõ ierit: & Iudex per narrationem negocij causam audire incipiat, & litem cõtestetur, l. 1. C. de lit. contest. Deindè præfigat terminum ad probandum, vt primo Actor, deindè Reus probent intentionem suam, vel per confessionem, vel per instrumentum, vel per testes, vt deindè Iudex agat, quod suum est, concludatur in causa

causa, publicetur processus, edantur acta, allegetur hincindè,& disputetur super dubijs causę. Qui ordo vt vnus sit, qui petat, alter qui respondeat, & tertius, qui iudicet, omninò necessarius est: aliàs enim stultus esset, qui priùs responderet, quàm audiret, Prouer.c.18. Vnumquemque admonet Ecclesiasticus c.11. Priusquam audias, ne respondeas verbum: & in medio sermonum ne adijcias loqui. At ne aliquo casu pręscripta iudiciorum figura, & temporis diuturnitas, damnum afferret, Iudici permittitur, vt in necessitatibus aliquid decernat per modũ prouisionis, l. si neget, ff. de liber. agnosc. l. ait Prætor, §. in causæ, ff. de iure delib. Et in aliquibus etiam arbitretur, arbitrio tamen à iure regulato; quoad merita causæ, secus quoad solemnitates, l.fin. §. sed etsi, & ibi Doct. C.com. de leg. Principi autem relicta est facultas, vt suadente necessitate, suo rescripto tollere possit, quæ sunt ordinis iudiciarij: Vndè dicitur in Clem. sæpè, de verbor. significat. quòd sæpè contingit, vt committantur causæ cognoscendæ, & terminandę simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij, ad hoc, vt Iudex, cui ita mandatur, necessariò libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum à iure, procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem quantum poterit faciat breuiorem, exceptiones, appellationes, dilatorias, & frustratorias repellendo; partium, Aduocatorum, & Procuratorum contentiones, & iurgia, testiumq. superfluam multitudinem refrenando. Non sic tamen Iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur. Sententiam verò

diffinitiuam præuia citatione, & inſcriptis proferat, ſiuè ſtans, ſiuè ſedens, provt magis ſibi placuerit, etiam concluſione non facta, ſecundùm iudiciorum figurá.

VIII. Quid ſit cognoſcere cauſas de plano.

Proferri debet ſententia à Iudice non ſtando, ſed ſedendo, c. fin. de ſent. & re iud. lib. 6. Et optima ratione: quia quiſque ſedendo plus ſapit, hinc ait Plaut. in Muſtellaria Actu 5.

Sic tamen hinc conſilium dedero, nimio plus ſapio ſedens. Anima ſedendo, & quieſcendo, fit prudentior: Ideòvt maturitas ſententiæ comprobetur, fertur à Iudice ſedente pro Tribunali, gloſ. in d. c. fin. in verbo, ſedendo, de ſent. & re iudic. in 6. Antiquitùs, provt etiam hodie obſeruatur, ſedes, ſolium, ſeù Tribunal Iudicis, erat locus excelſus, ſupra ſolum, aream, ſeù planum: in plano autem, area, ſeù ſolo Iudex ſtabat, vel antequam aſcenderet Tribunal, vel poſtquam deſcēderet. huc pertinet, quod dicit Suet. in Tiberio c. 33. Iudicesq. aut è plano, aut è quæſitoris Tribunali legum, & religionis, & noxæ, de qua cognoſcerent, admonebat. Quando ſtabat Iudex in plano, audire, & agere poterat ea, quæ cauſæ cognitionem nó exigebant, quæ requirebant celerem expeditionem; & tunc interloqui dicebatur, iuxt. tex. in l. 1. ff. de conſtit. princ. ibi vel de plano interlocutus: ea verò quæ cauſæ cognitionem deſiderabant, non in plano ſtans, ſed pro Tribunali ſedens expedire debebat, tex. eſt in l. à procedente, C. de dilat. ibi, & cognitio cauſæ non interpellatione planaria, ſed conſidente magis Iudice, legitimè colligatur. & in l. 1. §. abolitio, ff. ad Sen. Conſ. Turpill. ibi, Abolitio impetrari ſolet à Præſidibus pro Tribunali non de plano; & in l. 2. §. dies, ff. quis ordo in bonorũ

poſſ.

poss. seruetur in hæc verba, Dies bonorum possessionis vtiles esse, palàm est, sed non sessionum numerabuntur, si modò ea sit bonorum possessio, quæ de plano peti potuit; quòd si ea est, quæ causę cognitionem pro Tribunali desiderat, vel quæ decretum exposcit, sessiones erunt computandæ, quibus sedit. En igitur Maure si leges curant lites, & controuersias abbreuiare, dum aliæ per Iudicem in area, in solo, in plano stãtem, & interloquentem infrà Tribunal sedantur, & aliæ pe eundem in Tribunali supra planum sedẽtem, & pronunciantem, cum maturitate, provt res exigit, terminantur.

Nec mirum est, si in Iudicijs ordinarijs vnius sententia non sufficiat, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum, Deut.c.19. Itaq. non sine ratione iura volunt, vt ad constituendam rem iudicatam tres sententiæ requirantur, l. vnica. C. ne lic. in vna eademq. caus. tert. prouoc. Statuta autem particularia, & etiam Principes aliquando non sine ratione volunt, vt semel tantùm liceat appellare, & duæ habeant vim trium. Quòd autem vnica sententia transeat in iudicatum, vel ob non interpositam infra decem dies, vel ob non prosecutam infra biennium appellationem, prouenit ex præsumpta voluntate partis, quæ causam deferens censetur acquiescere, & sententiam approbare, l.1.C. de postul.l.fin. C.de sentẽtia, quæ sine cert.quant.prol. est. Quòd autem plures à pluribus ferantur sententiæ inter se diuersæ, & contrariæ, rarò ex iudicantium imperitia, vel errore prouenit; sed vt plurimũ nascitur ex varietate, & mutatione probationũ: quandoquidẽ potest quisque corã Iudice appellationis vti nouis asser-

IX. In Iudicijs ordinarijs cur vnica sentẽtia nõ sufficiat.

tionibus,vel nouis exceptionibus,l.per hāc,C.de tēpor. & repar.appell.& cōmuniter dici solet;nō deducta deducā,& nō probata probabo,l.eos qui,§.1.C.de appell.

X. Cur necessariū sit, plura discutere antè negotium principale.

Neque etiam mirandum est, si antequā attingatur negotiū principale,aliquando plura discutiantur; quia necessariò id accidit,& ne in exemplis deficiam: Certū est,lites non aliter finiri posse,nisi vnus sit,qui petitoris onus sustineat,& alter,qui possessoris cōmodo fruatur, l. inter litigantes,ff. de iudic. Modò si vterq.cōtendat, se posidere,necesse est discutere,quis debeat manuteneri in possesione,vt cōstet quis actoris,& quis rei partes debeat sustinere. Agit,vel conuenitur vnus tanquā Procurator,seù filius, vel hæres,aut descendēs; vt rectè iudiciū agi posit cum eò,oportet quærere, an talis sit, qualē se facit,l. 2.vbi glos.& Doct.C.de edict.Diu.Adr. toll. & non antè iuris ratio,quàm persona quærenda est, l.quidā referunt, ff. de iure codicil. Sed ne longiùs in hac re immoremur; certò scimus, quòd dum quis trahitur ad Iudicem,si contingat dubitari an sit cōpetens, discuti priùs debet,an ratione domicilij,originis, contractus, rei sitæ,vel personarum ei competat iurisdictio. Pariter si testes sint examinati,& iura sint producta; videndū est an validū sit examen, & valida extractio. Itaq.cū ex his satis intelligere posis,quàm necessariū,& vtile sit,vt plura antè discusionē rei principalis,præcognoscantur: transeamus ad alia,& breuiter ostendā,qua ratione iura dēt dilationes,ferias inducāt, permittant appellationes,nullitates tollant,restituāt in integrū,attentata reuocent.

XI. Cur dentur dilationes in iudicijs.

Dilationes à lege dātur ad deliberandum,&probandū,ideò necessariæ sunt,c.præterea, de dilat. l.oratione,ff.de ferijs,& dilat. vbi etiam caue-

cauetur, ne post primã, altera detur absque causæ cognitione: vbi autem dilatio danda sit, vel pro testibus examinandis, vel pro extrahendis instrumentis, moderanda est secundùm locorum distantiam, l. 1. C. de dilat. ne aliàs quod bonum est, conuerteretur in malũ, c. 1. 2. quæst. 7. Feriæ apud antiquos dicebantur, quando cessandum erat ab opere. Romani dies illos, quibus ius reddebatur, fastos appellabant: quia fas erat Prætoribus fari tria illa verba do, dico, addico. eos autem quibus à iudicandi munere vacandum erat, nefastos dies vocabant; quia non licebat Prętoribus fari, quàm rem Ouidius explicat Fastorum, lib. 1.

XII. Cur feriæ indicantur.

Ne tamen ignores variorum iura dierum,
Non habet officium Lucifer omnis idem.
Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Nos autem istos dicimus iuridicos, illos autem feriatos: quorum alij sunt feriati in honorem Dei, & dicũtur feriæ sacræ, diuini cultus gratia inuentæ, quibus iustum est, vt iurgia iudiciorum sileant: sunt enim dies festi, dies solemnitatis, & lætitiæ, dies Maiestati Altissimę dicati, l. dies festos, C. de ferijs. Alij sunt feriati ratione messium, & vindemiarum; & appellantur feriæ necessarię, quas necessitas fructuum colligendorum adinuenit; quibus iniquum esset, vt homines compellerentur ad iudicium. Sunt dies rei rusticæ debiti, l. 1. ff. de ferijs, & dilat. Sunt dies humanæ necessitatis, quibus cauendum est, ne pereat commoditas cælesti prouisione concessa, l. omnes Iudices, C. de ferijs. Alij sunt dies feriati in honorem Principis, & dicuntur feriæ honorariæ, quibus iura meritò silent: quia vel

ſunt dies natalitij Principis, l. ſed etſi, §. feriæ, ff. ex quib. cauſ.maior. l. 3. C. de dilationibus, quorum memoria cum lætitia coli debet, vndè dixit Horat. Epiſt. ad Torquatum lib. 1.

Mitte leueis ſpes, & certamina diuitiarum,
Et Moſchi cauſam. cras nato Cæſare feſtus
Dat veniam, ſomnumq. dies.

Vel ſunt dies creationis, ſeù coronationis Principis, quibus feriari decet ob debitam Principi reuerentiã, l. omnes dies, §. noſtris etiam diebus, C. de ferijs. Permittunt tamen iura, vt partes renunciare valeant ferijs neceſſarijs, & honorarijs, non tamen ſacris, c. fin. de ferijs. Debitores autem Fiſci, & ita etiam illi, qui ad eorum inſtar obligati ſunt, contra quos ſola executio deſideratur, non condemnatio, Ferijs neceſſarijs meſſium, & vindemiarum non iuuantur, l. publicas, C. de ferijs.

XIII. Cur appellationes admittantur.

Appellationem, dicũt Doctores, eſſe remedium neceſſarium contra ſententiarum iniquitatem; ſicut theriaca remedium eſt optimum contra venenum; nam vt ait Vulpianus in l. 1. ff. de appellat. Appellandi vſus neceſſarius eſt ad corrigendum iniquitatem, vel imperitiam iudicantium; licet nonnunquam benè latas ſententias in peius reformet. neque enim vtique meliùs pronunciat, qui nouiſſimus ſẽtẽtiam laturus eſt. ſed de hoc habenda non eſt ratio; quia conſiderandum non eſt quod fit, ſed quod fieri oportet, ſic etiam dicitur in l. penult. ff. de iuſtit. & iure. Quòd Prætor ius reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit: relatione ſcilicet facta non ad id, quod ita Prætor fecit: ſed ad illud, quod Prætorem facere conuenit. Aditur

ergò

ergò per viam appellationis superior, vt inferioris facta corrigat; quòd si secus agat, ei, non legibus imputari debet, c. 1. 2. q. 6. l. si quis, ff. de appellat. Ex alio etiam vtile est remedium appellationis, vt qui in primo iudicio minùs probauit, in secundo valeat persequi quod omissum est, l. eos qui, §. si quid in agendo, C. de appellat. Si quis autem causa differendi appellaret, non deberet audiri, c. quicunque, 2. q. 6. Et qui temerè prouocaret, malamq. litem prosequeretur, non exiret impunè, l. eos qui, §. ne temerè, C. de appellat.

Si leges tollunt reuocantve nullitates benè agunt, puniunt transgressiones, reprimunt præuaricationes. Qui caret iurisdictione, si sententiam ferat, legem offendit, l. 1. §. fin. ff. ad Sen. Cons. Tertull. Qui damnat non vocatum, legem transgreditur, l. de vno quoque, ff. de re iudic. Qui admittit comparentem sine mandato, non obtemperat legi, l. licet, C. de Procurat. Est igitur salubre remedium, quòd prçuaricatorum reprimatur temeritas, & redarguatur audacia, c. qua frõte, extra de appellat. c. si religiosus, de elect. in 6. Eorumq. sententiæ ita iudicentur, & habeantur, ac si non essent, & de facto tollatur, quod de facto factum fuit, Clem. Pastoralis, in fin. de re iud. l. 1. §. & hoc edictum, ff. si mul. ventr. nom. Atque ita agatur, vt non entium nullæ remaneant qualitates, l. eius qui in prouincia, ff. de rebus cred. Hinc rectè dicunt Doctores, vitium nullitatis prouenire ex legis transgressione, & quòd nulla maior est iniustitia, quàm nullitas. Verum est, quòd nullitates negotium principale non tangunt, non decidunt punctum, an res mea sit, vel tua. Remedium tamen nullitatis hoc efficit, quòd admodũ vtile est, vt

XIV. Cur nullitates tollãtur, & reuocẽtur nulliter gesta.

in

in diudicando principali negotio non attendatur id, quod nulliter,& de facto processit,sed de medio tollatur quodcunque contra leges temerè gestum est.

XV. Restitutio in integrũ cur detur.

Restitutio in integrũ est alterum remediũ iuris,vtile quidẽ,& necessarium,ad subueniendũ hominibus,vel lapsis, vel circumscriptis; siuè metu,siuè calliditate,siuè ætate, siuè absentia inciderint in captionẽ, l. 1.ff.de restit.in integr.Datur enim ei,qui vel petit veniã proprij erroris, vel allegat aduersarij circumuentionem, l.Præfecti, ff. de min. Et nõ solùm aduersus cõtractus, sed etiam aduersus rem iudicatã, siuè minoribus, siuè maioribus,ex causa tamen, L. 1.C.si aduers.rem iudic. c.4.de in integr.rest.Causa autẽ restitutionis in integr. est iniustitia sentẽtiæ,quãdo per viã appellationis corrigi nõ potest,in casu scilicet; quò appellatio sit prohibita,glos.in l.vnic.in verb.reformationẽ,C.si de mom. possess. Ideòq. restitutio in integrũ dicitur remedium extraordinarium, quod non cõpetit,nisi cessãte remedio ordinario appellationis, vel nullitatis; & eius finis est,vt iniquitas,& iniustitia sententię tollatur,& lęsus in pristinum statũ reponatur, & tantũ restitutio reparat, quantum læsio priùs abstulerat, l.quòd si minor, §.restitutio,ff.de min.l.videamus la 2.§.in fauiana,ff.de vsur. Ad petendã,& finiendam restitutionem in integrũ,datur quadriennium, l.fin.C.de tempor.in integr. restit. Et regulariter suspẽdit executionẽ rei iudicatæ,l.vnic. C.in integr.restit.postul. ne quid noui fiat: nisi tamen calumniosè peteretur, c. suscitata, de in integr. restit. Provt præsumitur,quando petitur contra tres conformes, Clem. vt calumnijs, de sentent. & re iudic.

XVI. Cur attentata reuocentur.

Attentatorũ reuocatio vtilis est,& necessaria; nam

Iudex

Iudex postquam semel dixit sententiam, posteà Iudex esse desinit, l. Iudex posteaquam, ff. de re iudic. Postquã aditus est superior per viã appellationis, nullitatis, vel restitutionis, suspẽditur iurisdictio inferioris, c. venientes, de iure iuran. Medio igitur tempore nihil nouari oportet; quia si recepta fuit appellatio, quisque debet abstinere à nouatione hac ratione, quia recepta est appellatio: si verò non est recepta, nihil est innouãdum, ne præiudicium fiat ei, quoad deliberetur, vtrùm recipienda sit appellatio, an non. Recepta autẽ appellatione, nihil erit innouandum, quamdiù de appellatione erit pronunciatũ, l. vnic. ff. nihil nou. appellat. interp. Itaq. si lite pendente vel Iudex, vel pars quidquã agere auderet, legem proculdubio transgrederetur, læderet partem, & Iudicis maiestatem offenderet, tot. tit. extra vt lit. pend. Optimum ergò, & salubre remediũ est, vt attentata breui manu reuocentur, & facili negotio, officio Iudicis omnia reponantur in pristinum, c. non solùm, de appellat. in 6.

Domus cuiq. tutissimum est refugiũ, & receptaculum, l. pleriq. ff. de in ius voc. & ibi tutus, & securus vnusquisq. esse debet, l. 1. C. de Prætoribus, & honore Præturæ, lib. 12. Itaq. si debitor de domo extraheretur, vt duceretur ad carceres, vis fieret, & iniuria: cum nemo inuitus de domo sua extrahi debeat, l. nemo de domo, ff. de reg. iur. Cumq. competat actio iniuriarum contra eũ, qui domum alienam inuito domino introiuit, etiã ad effectũ in ius eum vocãdi, l. is qui in domũ, ff. de iniur. Et quæ sit prærogatiua domus cuiusq. eleganter explicat Cic. in oratione pro domo sua, dicens, Quid est sanctiùs? quid omni religione munitius: quã XVII. In domo, & in Ecclesia quare nequeat fieri executio personalis.

domus

domus vniuscuiusque ciuium ? hic aræ sunt, hic foci, hic Dij penates, hic sacræ religionis cęrimoniæ continentur: hoc perfugiũ est ita sanctum omnibus, vt indè abripi neminem fas sit. Id, quod nos multò magis dicere debemus de sacrosanctis Ecclesijs, vt ex eis debitores, tãquam à domo Dei, extrahendi nõ sint, l. fideli, C. de his, qui ad Eccles. confug. vt scilicet honor Dei, & Sanctorũ eius conseruetur, c. reum ad Ecclesiã. 17. q. 4.

XVIII. Dilationibus, & inhibitionib., an vtile sit executionẽ realem differre.

Iudices non dant supersessorias, dilationes, nongrauetur, moratorias, inhibitiones, nisi ius, vel æquitas suadeat. Petit quis, prorogari terminum ad soluẽdum; nisi id malitiosè petat, æquum est, vt concedatur, l. debitoribus, ff. de re iud. Ostendit quis inualiditatẽ cœptæ executionis; iniqua res esset, si vlterius procederetur, l. 1. ff. de execut. rei iud. Est quis ære alieno grauatus, omnibus satisfacere nequit, vult cedere bonis; omnis ratio postulat, vt admittatur ad cessionem, & creditores quiescant, l. qui bonis, & l. fin. ff. de cess. bon. & ipse carceres euitet, l. 1. C. qui bon. ced poss. Sed ne quisque hoc remedium temerè susciperet, illud amaritudine ignominiæ iura consperserunt. Fit executio in re, quæ allegatur aliena: iustum nõ est, vt perficiatur, nisi causa summatim cognita, l. à Diuo Pio, §. si super rebus, ff. de re iud. Vxor dotem dedit viro; Creditores omnia diripiunt: Reipublicæ interest, mulieres dotes suas saluas habere, propter quas nubere possint, l. 2. ff. de iure dotium. Constante autem matrimonio expedit eas in tuto collocari, vt ex fructibus vxor se alere possit, maritum, & filios, l. vbi adhuc, C. de iur. dot.

XIX. Per cartas dotales cur executio debeat impediri.

Mau. Rem iudiciariam planam fecisti. restat vt dica-

dicamus nonnulla de virtute legum, & de pœnis, breuiter tamen, quia aduesperascit.

Luc. Condocefactus non indiges multis, nō opus erit multo labore, quò satisfaciam propositis dubitationibus, de virtute legis, & de pœnis. Diximus multa de necessitate humanæ potestatis, quæ in hoc potissimùm cōsistit, vt si sint, qui suadeant, plures etiam sint, qui coerceant. Sapientes quasi ex visceribus Iuris Naturalis, & Diuini, eliciunt, & colligunt quid bonum sit, quid malum. Cognoscit quisque suo lumine, quid appetendum, quid fugiendum. Suadent parentes quid liberos diligere, & quid odio habere oporteat. Demōstrant Magistri quantùm discipulos deceat virtutem amplecti, fugere vitia. Morales quid honestati, Spirituales quid pietati conueniat edocent. Hæc quidem prosunt humanæ societati, at non sufficiunt: qui boni sunt, non egent lege: qui mali, dicta, scriptavè non considerant, paruifaciunt admonitiones, pręcepta cōtemnunt: effręni lædunt humanam societatem: dissoni ciuilem consonantiam interturbant.

XX. De virtute legum.

Auctor legum Deus posuit antè hominem bonum, & malum: adiecit insuper mādata, Ecclesiastic. c. 15. Posuit inquam hominem in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Præcepit insuper ne de ligno illo scientiæ boni, & mali comederet, addidit pœnam, vt quacunque die ex eo comederet, morte moreretur, Genes. c. 2. Præuaricatorem deniq. condemnauit, vt reuerteretur in puluerem, Genes. c. 3. Hinc didicerunt mortales, quòd peccata vindictam clamant, & vindicanda sunt morte. Hinc leges vetant facta, dicta, scripta, & consilia illa, quæ mala sunt.

XXI. De pęnis, & cur ęquo sustinendę sint animo.

dam-

damnant furta, cędes, conuicia, falsitates, coniurationes, sacrilegia, aliaq. huiusmodi facinora, l. aut facta, ff. de pœnis. Morti tradunt fures, latrones, adulteros, homicidas, incendiarios, veneficos, sacrilegos, falsarios, monetæ violatores, conspiratores, cæterosq. huius classis criminosos, l. 3 C. de Episc. audien. Æquum est, vt transgressores luant pœnas, quibus consenserũt; expectent flagitiosi quòd fecerunt; non mereantur veniam, qui commiserunt in legem; indigni sint miseratione insidiatores; eijci debeant turbatores communis concordiæ; truncanda sint dissonantia neruia, quæ consonantium armoniam interrumpunt: non est culpa culpam punire, c. quia sunt, 28. dist. Reddit bonum pro malo, & pro iniusto iustum Iudex, qui sontes punit, c. sex differentię, 23. q. 3. Non est crudelitas crimina punire, sed pietas, c. legi Syromasten. 23. q. 8. Reipublicæ interest, ne delicta maneãt impunita, l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. Vindicãda sunt mala, ne quis alius posteà tale quid facere moliatur, l. Diuus Adrianus, in fin. ff. de custod. & exhib. reorum. Salubris est pœna, quia est coerctio delictorũ, l. aliud est, §. 1. ff. de verbor. signif. Est improborum metus, l. 1. C. ad l. Iul. repetund. Est proborum incolumitas, l. penult. C. de ferijs. Pœnas ob maleficia solui, magna ratio suadet, l. si à reo, §. fin. ff. de fideiuss. Natura æquum est, non esse impunitum eum, qui audactior factus est, l. 1. §. 1. ff. si quis test. liber esse iussus fuer. Consentire videtur pœnæ is, qui deliquit, l. Imperatores, ibi, Ipse te huic pœnæ subdidisti, ff. de iure Fisci. Ideòq. pœna quæ iustè infligitur, æquo sustinẽda est animo, sicut è conuerso iniusta difficillimè toleratur: vndè dixit Ouid. Epist. 5.

Leniter,

Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est;
Quæ venit indignè, pœna dolenda venit.

Et dixit etiam bonus ille Latro, & nos quidem iustè; nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit, Luc. c. 23. Non debet Iudex misereri delinquentis, cogitur iustè iudicare, Deuteron. c. 19. Puniri malum non est: sed pœna dignum fieri, malum est, D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 1. in respons. ad 3. De damnatorum pœnis dedecet quoscunque lætari. Iusta est vltio, quàm lex statuit, iniqua est libido vlciscendi, d. c. sex differentiæ, 23. q. 3.

XXII. Pęna remorsus cościentię, & cruciatus Inferni quomodo se habeát cum pęnis humanarum legũ.

Conscientiæ stimulus nocentem torquet, quando ordo propriæ rationis peruertitur. Quando lex Dei offenditur, punit Deus viuentes ægritudine, paupertate, morte, mortuos autem æterno supplicio. Si autem contemnuntur humanæ ordinationes, lex punit, lex inquam quæ donum Dei est; dogma sapientum; Ciuitatis compositio; quæ præest bonis, & malis; quæ præcipit facienda, non facienda prohibet, l. 2. ff. de legib. Quæ iustè imperat, vetat, permittit, & punit, l. legis virtus, ff. de legibus.

XXIII. Respõdet Lucius leges puniẽdo, & permittendo, nõ facere de bono malũ, nec è cõtra, neq. offẽdere pręceptum Decalogi negatiuum non occides.

Non facit de bono malum, nec de malo bonum, quando permittit, vel punit indifferentia: Plura sunt, quæ per se considerata, & in abstracto possunt esse, vel bona, vel mala: secundùm accidens verò, secundùm qualitates, & circumstantias, in concreto, & in indiuiduo; nihil ferè est, quòd vel bonum non sit, vel malũ. Itaq. lex, quæ regula est agendorũ, & omittendorum, consideratis qualitatibus, & circumstantijs, si quid decernat; indicat quid censeri debeat bonum, & quid malum: non autem malum auget, nec bonũ minuit,

vt enim docet D. Thom. 1. 2. q. 92. art. 2. in respons. Præcepta legis sunt de actibus humanis, in quibus lex dirigit. Sunt autem tres differentiæ humanorum actuum, quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum: & respectu horum ponitur legis actus præcipere, vel imperare. Præcipit enim lex omnes actus virtutum, vt dicitur in 5. Ethic. Quidam verò sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi, & respectu horum lex habet prohibere. Quidam verò ex genere suo sunt actus indifferentes, & respectu horum lex habet permittere: & possunt etiam indifferentes dici omnes actus, qui sunt vel parùm boni, vel parùm mali. Id autem, per quod inducit lex ad hoc, quòd sibi obediatur, est timor pœnæ, & quantùm ad hoc, ponitur legis effectus, punire. Et per hoc, quòd aliquis incipit assuefieri ad vitandum mala, & implendum bona propter metum pęnæ, perducitur, quandoq. ad hoc, quòd delectabiliter, & ex propria volũtate hoc faciat. & secundùm hoc lex etiam puniendo perducit ad hoc, quòd homines sint boni. Sed veniamus ad alia.

Dum lex imponit pœnam mortis, non offendit præceptum negatiuum Decalogi, Non occides: quia id non respicit Iudicem, & publicam personam: sed priuatam: dictum etiam fuit Hebræis, Non occides, Exod. c. 20. & tamen Moyses Deuter. c. 19. dixit, Si quis insidiatus fuerit vitæ proximi eius, surgensq. percusserit illũ, & mortuus fuerit, & aufugerit; mittent Seniores Ciuitatis eius, & arripient eũ de loco effugij, tradẽtq. in manu proximi, cuius sanguis effusus est, & morietur, & in c. 22. Si dormierit vir cũ vxore alterius, vterq. morietur, idest adulter, & adultera: & auferres malum de Israel. Pro

Pro simplici furto, fur castigatur fustibus, auth. sed nouo iure, C. de seru. fugit. At qui grassator est, & latro famosus, furca suspenditur, l. capitalium, §. famosos, ff. de pœnis: qui textus etsi videatur loqui de eo, qui furatur cum interfectione: tamen generalis consuetudo toto Orbe recepta interpretatur, vt famosus latro cēseri debeat, qui solitus est furari: & quicunq. tria furta, etiam absque cæde, commisit, suspendatur; vt not. Bald. in d. auth. sed nouo, num. 3. addens idem esse, si quis vnicum, enorme tamen, furtum commisit; quia vnum magnum delictum sæpè æquiualet tribus paruis, arg. l. si is, qui tres, §. fin. ff. de excusat. tut. Et propter enormitatem delicti æquum est, vt pœna augeatur, l. aut facta, §. penult. ff. de pœnis. Legitur in libro Iosue c. 7. quòd Achan fecit furtum enorme; vidit inter spolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos siclos argenti, regulamq. auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstulit, & abscondit in terra contra medium tabernaculi sui, argentumq. fossa humo operuit. Idq. cum confessus fuisset, se fecisse, misit Iosue ministros, qui currentes ad tabernaculū illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, & argentum simul. Auferentesq. de tentorio tulerunt ea ad Iosue, & ad omnes filios Israel, proiecerunt q. antè Dominum. Tollens itaq. Iosue argentumq. & pallium, auream regulam (& omnis Israel cum eo) Achan duxerunt ad Vallem Achor: & dixit Iosue: quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitq. eum omnis Israel: congregaueruntq. super eum aceruum magnum lapidum, qui permanet vsque in præsentem diem. Profectò indigni sunt fures, qui viuant:

XXIV. Fures cur mortis pęna sint puniēdi.

quia si id tempus, & eandem industriam ad bonum conuerterent, omni procul periculo, ex opere plus cõsequeretur, quàm ex furto, vt enim ait Salomon Prou. c.11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Odiosi sunt fures etiã brutis, quæ tametsi ratione careant, aliquando tamen tantum scelus inultum transire non permiserunt. Legitur de quodam hospitis famulo, qui surripuit hordeum, antè equum positum, & ab eo fuit calce percussus in facie, qua remansit impressio ferri, & clauorum. Sed peius legitur de alio pariter hospitis famulo, qui dum equi cuiusdam personæ nobilis pabulum furabatur; equus strinxit dentibus brachium furis, & detinuit quousque captus fuit: qui ductus ad Iudicem, crimenq. confessus, eadem pœna, quam petere visus erat equus, amputationis manus punitus extitit. Considerauit enim Iudex ille, quid mali euenire potuisset, si equus fame oppressus, nobilem illum itinerantem, vel à fluminis impetu, vel ab insidijs latronum, propria fortitudine, & velocitate non valuisset liberare. Areopagitæ, vt ait Quintil.lib. 5.instit.orat. Cum damnauerunt puerum Cornicum oculos eruentem, non videntur aliud iudicasse, quàm id signum esse perniciosissimæ mentis, multisq. malo futuræ, si adoleuisset. At magis verisimile est, quòd qui soliti sunt furari grauiora patrarent, si dimitterentur. Alexander Seuerus Imperator, vt refert Lampridius, seuerissimus fuit contra fures, vocans eos solos hostes, inimicosq. Reipublicæ. Transeamus ad alia.

XXV. Dignitati deferendum est in pęnis statuendis.

Dignitati deferendum est in statuendis pœnis; ex personarum enim conditione æstimandæ sunt pœnæ,

l.Pedius,

l. Pedius, §. fin. ff. de incend. ruina, & naufrag. Inhonestum esset, vt eadem pœna imponeretur personæ nobili, quæ vili, l. seruos, C. ad l. Iul. de vi publ. Considerandа est qualitas eius qui fecit, & eius qui passus est, l. aut facta, vers. persona, ff. de pœnis, nullius tamen delictum relinquitur impunitum. Alij damnis, alij verberibus, districtius alij, alij leuius corriguntur, c. fraternitas, 12. q. 2. Nobiles suarum substantiarum proscriptionem patiũtur, ignobiles in corpore puniũtur, aut castigantur exilio, c. qui contra, 24. q. 1. Si qui sunt puniendi, qui vel arte, vel scientia excellant, non puniuntur vulgari pœna, sed consulitur Princeps, qui arbitrio, vel puniat, vel miseratione indulgeat, l. ad bestias, ff. de pœnis. Iure quidem meritò; nam, vt ait Valer. Maximus lib. 5. de pietate erga fratres, tit. de Tiberio Cæsare, etiam Dij fautores sunt eximiarum virtutum. Quòd tuta conscientia exigi nequeat pœna, intelligitur de pœna pecuniaria, quæ applicatur parti, vt in foro conscientiæ non sit exigenda, vltra interesse. Secus autem de pœna, quæ applicatur Fisco.

Mau. Omittamus pœnas pecuniarias, quæ non tantũ habent acerbitatis; & prosequamur pœnas corporales. Mirantur ferè omnes, quòd causæ criminales tàm citò expediantur: & Ciuiles, in quibus non de vita, sed de rebus agitur, tot dilationes habeant, & tot instantias.

Luc. Ad pœnalem sententiam nõ peruenitur, nisi reus fuerit confessus, vel probationibus clarissimis conuictus, l. qui sententiam laturus, C. de pęnis, & crimine liquidato, non debet sententia differri, l. cum reis, C. de pęnis, ne differatur publica vltio, ne reis, qui confessi, & conuicti vlterius nihil deducere possunt, detur XXVI. Criminales causæ cur celerius expediantur, quã Ciuiles.

occasio pęnas eludendi. Idem fit in Ciuilibus, quando debitor cõfessus est, vel conuictus, provt in executiuis. At quia in ordinarijs nõ confitentur debitores, sed negant; ideò non potest deueniri ad executionē, nisi post rem iudicatam, vt paulò antè dicebamus, loquentes de Iudicijs.

XXVII. *Man.* Quænam est reorum confessio? non quidem spontanea est, sed dura vi tormentorum extorquetur. Ducitur reus ad Carceres; durè custoditur; ad torturę locum adducitur; applicatur funi; in altum eleuatur; quassatur funis, ne dormiat; vt brachia in altum tollat, ictibus torquetur; vt crura dimittat inferiùs, aut lignũ, aut lapis, aut ferrum magni ponderis pedibus alligatur. Interrogatur importunè, num velit fateri veritatem; mox admonetur placidè, ne vlterius patiatur se in tormento detineri; liberè dicat quod egit. Deus bone, quis præ dolore non diceret se fecisse, quod nunquam cogitasset? Si quis brachio infirmus sit, vel alia de causa torqueri nequeat, tormento supponitur non minori. Sedens tenet pedes in Cippis nudatos, quos minister vngit lardo; apponit ignem validum iuxta illos; mox inter ignem, & pedes apponitur tabella, cum importunis exhortationibus, ne velit magis cruciari; ne ampliùs veritatem taceat. Si Dijs placet, quis veritatem non confingeret? quis non fateretur, quod non egit, ne vlteriores huius generis cruciatus sentiret? non desunt alij modi, quibus reorum non veræ confessiones elijciuntur. Qui vel torturę, vel igni aliqua ratione subijci non possunt; prostrati in terra coguntur talum pedis dexteri ponerę inter duos taxillos ferreos, & concauos; quos minister, quodã ligno,

Confessiones reorũ vi tormentorũ extorquere an ęquum sit.

&

&, vt inquiunt, Stanghetta, inhumaniter comprimit: aut manus antè ligatas coguntur offerre ministro, qui inter binos earum singulos digitos, ligna quædam, sibilla appellata, accommodat; illaq. funiculo currente fortiter constringit. Hæc quis non paueret? quis libentiùs non moreretur? sed non est hic torquendi finis. Si quis forti animo, & funem, & ignem, & taxillos, & sibilla sustinuerit; vt quiescat, offertur ei scamnum quoddam ligneum, quòd Vigiliam vocant: accliue est, & in medio eleuatum, conficiens angulum acutũ, potius quàm obtusum: super quo reus manere cogitur, quousque vel dicat, quod quæritur, vel perforatus, dimidiatusq. intereat. Proh dolor; quæ fuerunt merita auctorum tantæ immanitatis? quo prẹmio digni extiterunt atroces? Busiris crudelissimus Tyrannus Ægyptiorum, hospites omnes Ioui immolabat. Cum autem Hercules in Ægyptum venisset, eiq. easdẽ insidias Tyrannus pararet; res non successit ex voto. Hercules interfecit Tyrannum, simul & filium, & ministros Aræ. Perillus, qui donauit Phalari Agrigentinorum Regi crudelissimo, æneum taurum, à se artificiosè fabricatum, in quem damnati immissi, supposito igne, vi vi exurerentur, & pro eiulatu humano mugitum ederent, pro sui artificij munere, quod maximũ sperabat, in eodem tauro iussu Tyranni inclusus est, & vi subiecti ignis primos mugitos edidit; primus suę artis specimen præbuit; primus gustauit fructus sui ingenij. Et quòd hoc sit dignum prẹmium, cuiusq. crudelissimi inuenti, vt crudelitas in auctorem retorqueatur, exprimit Claudianus in Eutropium lib. 1.

Quàm benè dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij primis auctoribus instet.
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare tonantem,
Inuentus primum Busiridis imbuit aras,
Et cecidit saui, qui dixerat hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumq. repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori.
Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,
Sensit opus, docuitq. suum mugire Iuuencum.

Posteà verò idem Phalaris, quando eius atrocitas diutiùs ferri nō potuit,correptus est vniuersorum ciuium impetu,& in eodem tauro positus, ipse quoque mugiuit,& crematus est. Vndè dixit Cic.lib.2. Officiorum. Testis est Phalaris cuius est præter cæteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidijs interijt,vt is,quem modò dixi, Alexander non à paucis, vt hic noster, sed in eum vniuersum Agrigentinorum multitudo impetū fecit. Iudices profitentur torquere reum,vt sciant,quis deliquerit,ne fortè puniret innocentem. Proh Deum, atque hominum fidem: dubitatur quis sit nocens, & vnus certissimè cruciatur: vnus pro incerto scelere luit certissimas pęnas. Non solus conqueror,conqueritur etiam Diuus Augustinus in lib. 19. de Ciuit.Dei, c.6.dicens, Cum propterea Iudex torquet accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam,& vt tortum,& innocentem occidat,quem, ne innocentem occideret, torserat. Fallax sanè est iudicium quæstionis. mentitur, qui pati potest, mentitur,& ille,qui pati non potest. ille patientia, aut obstinatione superat, hic infirmitate superatur.

Luc.

Luc. Carceres, quæstiones, tormenta, sunt mala necessaria; si tamen Iudices modũ non excedant, non affectent gloriam aut clementiæ, aut seueritatis, sed perpenso iudicio statuant, provt quæq. res expostulat, l. respiciendum, ff. de pęnis. Inuenti sunt Carceres ad custodiam, non ad pœnam, l. aut damnum, §. solent, ff. de pœnis. Durior custodia est res misera innocentibus; noxijs autem non satis seuerum, l. 1. C. de custod. reor. Tormenta ad eruendam veritatem sunt efficacissima, non tamen adhibenda in omni causa, in omni persona; sed tunc demum, quando capitalia, & atrociora extant maleficia, eaq. non aliter explorari possunt, & inuestigari, l. edictum, ff. de quæst. Quæ sit ratio efficaciæ tormentorũ, demonstrat Cic. in Topic. ad Trebatiũ, dicens, Facit necessitas fidem, quæ tùm à corporibus, tùm ab animis nascitur; verberibus torti, & igne fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicerę. & quæ à perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu; quia necessitatis vim habēt, afferũt authoritatem, & fidem. Verum est, quòd pleriq. sunt, qui innata quadam patientia, & duritia quodcunque tormentum contemnunt, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Et alij sunt tanta impatientia, vt potiùs velint in quouis mentiri, quàm pati tormenta, vt legitur in l. 1. §. quæstioni, ff. de quæst. Attamen non sunt confouenda scelera: negligenda non est publica vltio. Occisus est homo, incensus ager, spoliata domus. Occultus est, qui commisit, inuestigari debet. si accusatus nullis vrgeatur argumentis, torquendus non est, l. vnius facinoris, ff de quæst. inspiciendũ est cuius æstimationis sit in Ciuitate, qua constantia dicat, qua

trepidatione, l. de minore, §. tormenta, ff. de quæst. Conſcius culpæ pallet, ſtupet, tacet. Vndè dicit Ouid. lib. 2. Metamor.

Heù quàm difficilè eſt, crimen non prodere vultu.

E conuerſo, qui vacat culpa, confidenter loquitur: vt enim ait Plaut. in Amphitrione, qui non deliquit, decet audacem eſſe confidenter pro ſe, & proteruè loqui. Duo ſunt ſuſpecti; ſubijciuntur ambo quæſtioni: qui nocens eſt, ſuſtinet, non fatetur; æquum eſt, vt purgatis indicijs dimittatur; vitam dolore redemit. Innocens prodit ſe ipſum, facit ſe reum; non punitur innocens, ſed reus; extra acta, & probata Iudices nihil ſciunt. nõ fuit inutilis quæſtio, non remanſit delictum impunitũ: quamuis pro delicto pœnam ſuſtinuerit, qui illud ſibi falſo adſcripſit. Lauit ſe turpis in flumine, prudens euadit: mundus ſe proiecit, ſtultus ſubmergitur. non deſinit flumen eſſe neceſſarium; non ceſſat vtilitas illius vſus. Indignus eſt omni miſeratione, qui pro ſe eximẽdo à momentaneo brachiorũ, pedum, manuũq. dolore, vitam, famam, propriamq. ſalutem perdere vult turpi mẽdacio. Culpa eſt abiecti, & iniqui animi, non Iudicum, qui legibus obtemperant: non legum, quæ tormentorũ, & pęnarum metu admonent homines ne peccent: non Principum, qui quos elegerunt ad officia ſubijciunt ſindicatui, vt de exceſsibus rationem reddãt, & ipſi quoque pęnas, quas meruerint, luant. Dura ſunt tormenta, quæ recenſebas, at duriora erãt ea, quibus antiquiores vtebantur, terrebant quoſcunq. eculei, laminæ cãdentes, fidiculæ, & alia quorum meminerũt Valer. Max. lib. 6. c. 8. de ſeruo M. Antonij, & Sueton. in Tiberio, c. 62. de crudelitate, & ſæuitia

eius

eius aucta. Medicina leuis non proficit, quando grauis est infirmitas. facilè delinquerent praui homines, quando cognoscerent facilè esse, factum in tormentis negare, & ita pęnas euadere.

Mau. Postquam leges puniunt malos, cur bonos non præmiant? XXVIII. Præmiare an pertineat ad legẽ sicut punire.

Luc. Virtus cæteris rebus pretiosior est, vndè ait Horatius lib. 1. Epist. ad Męcenatem.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Virtutis pręmium est honos, Cic. in Bruto circa finẽ. Et trahimur omnes studio laudis: & optimus quisque maximè gloria ducitur Cic. pro Archita Poeta circ. fin. At quoniã sapientiores dixerũt Rempublicam duabus rebus contineri, pręmio, & pęna, & pręmia proposita esse virtutibus, & supplicia vitijs. ideò quàm benè leges circa iustitiam distributiuam prouideant, vt pręmia, munera, dignitates, & officia æquè, & pro meritis distribuantur, tu ipse alio tempore videbis. Et ego nunc considero, quòd lex dum corrigit, expellit, & extinguit malos, tũc punit: dum verò cõfouet, defendit, & cõseruat bonos, in tranquillitate, tunc præmiat. ergò lex nõ minus præmiat bonos, quã puniat malos.

Mau. Cur Modestinus in l. legis virtus, ff. de legibus, inter virtutes legis non enumerat præmiare?

Luc. Ea, quæ habent vim coactiuam, sunt propria legis. & ideò Modestinus enumerat sola quatuor, imperare, vetare, permittere, & punire. Omittit autem præmiare, quòd non est solius legis, & competit etiam priuatis, & coactiuam vim non habet. pęna homines vrgentur, pręmio autem exhortantur, iuxta text. in l. 1. ff. de iustit. & iure, ibi, bonos non solùm metu

pęna-

pęnarum, verùm præmiorum quoque exhortatione, efficere cupientes. Hinc Horat. Epist. lib. 1. ad Quintium scribit.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Tu nihil admittes in te, formidine pœnæ.

Boni, quia spontè agunt, digni sunt laude: mali, qui propter metum non audent, satis est, quòd Reipublicæ non noceant: at qui à malo non abstinent, qui noxij sunt alijs, expelli debent propter Reipublicæ incolumitatem, propter aliorum correctionem, & solatium offensorum: quòd tamen ita intelligendum est, vt illis compatiendum quidem sit de merito pęnæ, sed non de pęna. Vndè dicebat Ouid. lib. 2. de Ponto ad Messalinum, in fine.

Et mala Nasonem quoniam meruisse videtur.

Si non ferre doles, at meruisse dole.

Hinc dicit D. Thom. 1. 2. q. 92. art. 2. in respons. Quòd consulere non est proprius actus legis, sed potest pertinere etiam ad personam, cuius non est condere legem; & ideò non ponitur inter actus legis; sicut nec præmiare, cum possit ad quemlibet pertinere; sed punire, non pertinet nisi ad ministrum legis, cuius auctoritate pęna infertur: & ideò præmiare non ponitur actus legis, sed solùm punire. Iam verò aliquid dicam de reis damnatis.

XXIX. Cõdemnati ad mortem quid boni cõsequantur.

Qui à lege puniuntur; qui à Iudice traduntur supplicio; qui culpam agnoscunt, hoc boni consequuntur, quòd solutione pęnæ temporalis, æternam illam à Deo comminatam, quæ valdè treméda est, & horribilis (vt dicebas) possunt redimere: & velut ij, qui institori satisfecerũt, sperare possũt à Domino liberationẽ.

Mau.

Mau. Verendum potiùs videtur, ne temporalis pęna, principium ſit diuinæ vltionis: ne quos propria continere nequiuit conſcientia, & quos eijcere debuit humana ſocietas, trahant ſecum ſpiritus immundi.

Luc. Naum Propheta c. 1. dicebat Niniuitis, Non conſurget duplex tribulatio, quia dicit Dominus, afflixi te, non affligam te vltrà: In quo loco Sanctus Hieronymus latè quærit, quomodo intelligendum ſit dictum Prophetæ, quòd non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione; & ex eius verbis, quæ referũtur in c. quid ergò, 23. q. 5. breuiter dicere poſſumus, quòd ſi homines inter ipſa flagella pęnitentiam agãt, in ſupplicijs ſe emendent, ſe abluant, Deus non iudicabit illos. non reſpuit Deus pęnitentiam quamuis breuem, & momentaneam. At qui in flagellis duriores, & in pęnis deteriores fiunt, vlterius iudicabuntur. tunc incipit vindicta, ſuccenditur ignis, qui perpetuò ardebit. Suppliciũ temporale, quod æquo animo non ſuſtinuerunt, quod abſque cordis contritione pati voluerunt, initium eſt æternæ damnationis; vt etiam dicitur in c. ſunt plures, §. 1. & in c. ignis ſuccenſus eſt, & in c. quærat aliquis, de pęnit. diſtinct. 3. Iſtis, qui in pęna peccatum non agnoſcunt, vel agnoſcentes paruifaciunt diuinam miſericordiam, accidit, quod illis, qui Ciuitatem tranſire volunt, vel non ſoluto vectigale, vel proiecta publicani apoca: eos enim ſtatim egreſſos inuadunt exploratores, ſatellites ligant, detrudunt cuſtodes.

XXX. Eccleſiaſtici cur pœnam mortis nõ infligant, & cur reos ad Eccleſiam confugiẽtes tueãtur.

Mau. Abeant iſti. At ſi iuſtum eſt, vt pęnæ corporales pro delictis imponantur; quare Eccleſiaſtici illas non infligunt? ſi iuſtum eſt, vt homicidæ, fures, cæteriq. rei

rei sanguinis afficiantur vltimo supplicio, quare Ecclesia eos defendit cùm ad Ecclesiam confugiunt?

Luc. Qui præsunt Ecclesiæ, qui multitudinem fideliũ regunt, sat habent, si malos ab Ecclesia expellant, si eos separent ab aliorum communione, sicut qui præsunt Ciuitati, qui Ciuium vniuersitatem gubernant, eijciunt sontes à Ciuitate, delent illos de numero viuentium, tradunt vltimo supplicio. Habet Ecclesia Dei gladium spiritualem, qui non occidit, sed viuificat, c.inter hæc, 23. q. 2. At gladium temporalem portant sæculares Iudices, qui ministri existunt iræ Dei in malefactores, c. non solùm, 23 q. 5. Qui constituti sunt propter latrones, homicidas, & raptores, vt & illos damnent, alios verò suo timore compescant, c. sunt quædam, 23. q. 5. Dixit Deus ad Moysen, Maleficos non patieris viuere, Exodi c. 22. At Iesus dixit Petro, Conuerte gladum tuum in locum suum, Matthæi c. 26. Gladius spiritualis, quo Ecclesia vtitur, dicitur excommunicatio. Contingit autem, vt aliquando sufficiat delinquentem arcere à solis liminibus, solaq. Ecclesiæ sacramentorum perceptione; & tunc dicitur minor excommunicatio: aliquando autem necesse est nedùm ab his, sed etiam ab omni fidelium consortio contumaces separare, & tunc dicitur maior, & Græco nomine appellatur Anathema, idest detestatio, execratio, maledictio, c.ad mensam, §.euidenter, 11.q.3. Excommunicatio minor à fraterna societate separat: maior verò recidit ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, c.Engeltrudam, 3. q.4. Rationabilis sanè, & omninò necessaria est huiusmodi pęna, tàm ád salutẽ Ecclesię, quàm ad correctionem delinquentium; nam

vt

vt dicebat Salomon Prouerb. c.22. Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntq. causæ, & contumeliæ: & dixit Iesus quasi loquens Ecclesiæ: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim vt pereat vnum membrorũ tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam, Matth.cap. 5. & Paul. Apost. fornicarios tradidit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Nostri Iesu Christi, 1. ad Corinth. c. 5. Et in 2. ad Thessalonic. c. 3. eos monet, dicens, Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam, hunc notate, & ne cõmisceamini cum illo, vt confundatur. Ideòq. secundùm sacros Canones, excõmunicatio est neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, c.cum inter, de consuet. Est censura, & correctio, c. quærenti, de verb. signific. Non est eradicatio, sed disciplina, c.notandum est, 24. q. 3. Et ad hoc quicunque grauiter errat, & contumax est excõmunicatur, vt notatus ab omnibus erubescat, suffususq. pudore resipiscat tandem, & ad frugem bonam redeat, c.audi, 11. q. 3. Si pareatur, medicina est salutaris, c. multi, 2. q. 1. c. 1. de sentent. excom. lib. 6. Sin minus, æternæ mortis damnatio est, c. nemo Episcoporum, 11. q. 3. c.corripiantur, 24. q. 3. Simili pęna, simili separatione vtebantur Arabes, qui, vt testatur Plinius lib. 6. cap. 22. in fin. Morte multabant, nullo interimente, auersantibus cunctis, & commercia etiã sermonis negantibus. Refert Cæs. in suis Commentarijs, lib. 6. de bello Gal. quòd Druyides erant Sacerdotes Gallorum, qui intererant diuinis, sacrificia publica, & priuata procurabant, Religiones interpretabantur, ad illos magnus adolescentium numerus disciplinæ

causa

causa concurrebat, & magno erant apud eos in honore; nam ferè de omnibus controuersijs publicis, priuatisq. cõstituebant: isti, vt idem paulò inferiùs refert, dum quis, aut priuatus, aut populus, eorum decreto non stabat, sacrificijs interdicebant. Græci eorum anathemate foro, & sacris sceleſtes arcebant. Apud Romanos interdicebatur, prohibebatur, scilicet aqua, & ignis Romanis Ciuibus rerum capitalium damnatis, cum nec supplicium de Ciue Romano sumi liceret; nec is prius Ciuitatem amitteret, quàm in aliam receptus esset. Ideòq. duobus elementis, quæ humanã vitam maximè continent, priuabantur, vt egrederentur Romanam Vrbem, atque ita in aliam Ciuitatem se conferrent, vt ostendit Cic in Orat. pro domo sua. Grauissima quidem pęna est excommunicatio, quam nemo contemnere debet; neque enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui solis Ecclesiasticis, hanc potestatem dedit, & dominos fecit tanti honoris, c. nemo contemnat, 11. q. 3. Ego sum vitis, vos palmites, dixit Iesus, Ioan. c. 15. Quicunque igitur excommunicatus est, tanquàm palmes abscissa necesse est, vt areat, vt cõburatur. In Ecclesia est Christus, extra Ecclesiã Diabolus. quicunque igitur extra eam ponitur, Sathanæ traditur, c. omnis Christianus, 11. q. 3. Si fideles sunt mẽbra Christi; ergò qui nõ est membrum eius, nõ vegetatur spiritu eius, c. nihil sic debet formidare, 11. q. 3. quantumuis laudabiliter viuat, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est; non habet vitam, ira Dei manet super eum, c. si quis à Catholica, 23. q. 4. non potest absolui à vinculis peccatorum, non ingredietur ianuam regni cæleſtis, c. quicunque ab vnitate, 24. q. 1.

24. q. 1. destitutus iacet omni procul Ecclesiæ suffragio, c. quicunque, 11. q. 3. vitatur vti leprosus, vti ouis scabiosa, vti morbida pecus, c. resecandæ, 24. q. 3. At quoniam excommunicatio nõ fertur nisi pro grauibus excessibus, c. nemo Episcoporum, 11. q. 3. Ideò Ecclesia alijs etiam leuioribus modis solet leuiores errores corrigere, & punire: aliquos suspendit à ministerio, & officio ad tempus, c. presbyter si à plebe, 2. q. 4. Alios in perpetuum, c. si quis viduam, 50. dist. Alios in Monasteriũ detrudit, c. si Episcopus, 50. dist. Alios carceri mancipat, vel ad tempus, vel in perpetuum, c. quamuis, de pœnis, in 6. Alios degradat, & Curiæ sæculari tradit, c. statuimus, 11. q. 1. Alios corpore affligit, c. antè omnia, 35. dist. Alios in exilium deportat, c. 1. de calumn. Et aliquando punit pęna pecuniaria, iuxt. tradita in c. licet, de pœnis. A pœna autem mutilationis membrorum, aut vltimi supplicij, Ecclesia non solùm abstinet, verùm etiã reos sanguinis misericorditer tuetur. Cuius rei plures rationes possunt afferri: Vna est, ne Ecclesia effusione sanguinis particeps fiat, c. reos sanguinis, 23. q. 5. Altera, quia domus Dei, secundùm Euãgelicam veritatem, domus orationis esse debet, & tutela refugij, c. cum Ecclesia, de immun. Eccles. Tertia, quia honor Dei, & Sanctorũ eius debet conseruari, c. reum ad Ecclesiam, & c. diffiniuit, 17. q. 4.

Ob id tamen censeri non potest, quòd Ecclesia se opponat humanæ iustitiæ, quia publicos latrones, depopulatores agrorum, & similes, omni miseratione indignos, nullatenus defendit, c. inter, de immunit. Eccles. Sic etiam Exodi c. 21. præcipiebatur, si quis per

indu-

industriam occiderit proximum suum,& per insidias; ab altari meo euelles eum, vt moriatur. Alios autem vti pia mater custodit, quousque valeat obtinere pro eis,vel indulgentiam,vel commutationem corporalis pœnę in mitiorem d.c.cum inter,& c.si vobis,23.q.8. Immo expedit Reipublicę,vt sint publica loca constituta, ad quæ, qui aliquem offenderint,tutè confugiãt: ne alias priuata, aut offensi, aut eius cognati manu,interficerentur. Num.c.35. ait Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel,& dices ad eos: Decernite,quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum,qui nolentes sanguinem fuderint: in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis,& causa illius iudicetur. Eadem etiam posteà locutus est Dominus ad Iosue,vt legitur in lib.Iosue, c.20. Apud Græcos, nepotes Herculis timentes vim eorum,qui ab Hercule eorum auo præmortuo vexati fuerant, Athenis primùm sibi constituerunt Asylum, hoc est locum, seù templum misericordiæ, & refugij: vndè nullus per vim posset abduci. Asylum etiam in Vrbe Romulus collocauit inter Capitolium,& Palatium,quod Quercetum dicebatur, cuius rei plures meminerũt,Plutarchus scilicet,Liuius, Seruius,& alij; & est textus cum glos. in l.quis sit fugitiuus,§ apud Labeonẽ,in verb.Asylũ, ff. de ædil.edict.

Mau. Optimè,& summa cum animi iucunditate percepi hanc rem, sed lapsa est dies.

Luc. Quænam remanent?

Mau. Omnia quæ dicebam aduersus legale studium.

Luc. Reducam ad memoriam, & pro viribus in sequenti satisfaciam.

OCTAVVS CONGRESSVS.

MAVRVS. LVCIVS.

Mau. QVÆ dicebam de legum ſtudio, vt tuus minuatur labor, breuibus perſtringo. Inutile videtur, iniucundũ, laborioſum: Verſatur enim circa leges, quæ ſunt mutabiles, obſcuræ, innumerabiles. Inutile eſt dare operam rebus illis, quæ nullum habent ſtatũ firmitatis; nullam afferunt iucunditatem ea, quorum certitudo non poteſt haberi; duriſſimus labor eſt ingentem molem, omni procul exitu, reuoluere. I.

Maurus repetit breuiter quæ dixerat contra ſtudiũ legum. & Lucius quoad mutationem legũ reſpondet, eam eſſe aliquando neceſſariam, & vtilẽ.

Luc. Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandoq. varientur humana; præſertim cum vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas, id expoſcit: quoniam ipſe Deus, ex his, quæ in Veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in Nouo, c. non debet, de conſanguin. & affin.

Mau. Non mutatur lex Dei, qui incommutabilis eſt; nec variatur lex naturæ, quæ velut ignis, talis eſt apud nos, qualis apud Indos. Leges ſolæ, quæ ab hominibus ponuntur, ſunt mutabiles, & variæ; eædem non ſunt omni tempore; non ſunt eædem apud omnes; quotidiè nouæ dantur leges; noua conduntur ſtatuta; edicta noua proponuntur; abrogantur primęua iura; variantur primæuæ Conſtitutiones. Hæc ſunt, quæ legalem ſcientiam confundunt, quæ deludunt ſtudiorum labores.

Luc. Solus Deus eſt immutabilis: ego enim Dominus,

& non mutor, legitur Malach.c.3. Attamen ipse Deus incommutabilis (vt habetur in sacris literis) sua promissa sæpè mutauit, suam sæpè pro misericordia téperauit sententiam, c.incommutabilis, 22.q.4.Ieremias, c.18.ait, Et factum est verbum Domini ad me dicens, repente loquar aduersus gentem,& aduersus regnum, vt eradicem,& destruam,& disperdam illud: si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei: & subito loquar de géte, & de regno, vt ædificem,& plantem illud: si fecit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, vt facerem ei. & Ionas c.3. dicit, Et vidit Deus opera Niniuitarum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Verum est, quòd Deus nec mutatur, nec mutari potest; mutabilia tamen facit,& temporalia creat, sine vlla sui commutatione, sine vllo suo temporali motu, vt per Magist. sent. lib.1.dist.8. vers.hic de incommutabilitate, lit.C. Quæcunque igitur Deus simpliciter,& absolutè disposuit, non mutat. Ea verò, quæ vel per modum comminationis proposuit, vel prout merita exigunt, disposuit, vel sub conditione constituit, Deus ipse mutat, minuit,& pro misericordia temperat. Ideòq. dicitur in c.si agamus, de pœnit.dist.1. si agamus pœnitentiam; ipsum quoque Deum suæ pœnitebit sententiæ: si negligentia dissoluamur; & illum pœnitebit sponsionis suæ, promissaq. mutabit. Non igitur mirũ est, si leges, quæ ab hominibus feruntur sub ea cõ ditione, vt sint iustæ, & vtiles;

defi-

deficiente conditione mutentur, & corrigantur. Lex naturæ eadem est apud omnes; vna est natura rerum omniū parens: & ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: & quod apud omnes gentes peręque custoditur, ius naturale gentium appellatur. At quoniam natura non docet, nisi quædam prima principia inter omnes recta, & ab omnibus cognita, quæ humanæ societati prorsus non sufficiunt; ideò necesse est, vt homines ex eisdem principijs, quasdam alias rationes eliciant, conclusiones desumant, leges constituant, ad vniuersitatis, & reipublicæ vtilitatē, quę nequeunt esse perpetuæ, nequeunt apud omnes habere eiusdē æquitatis, & iustitiæ imaginem, nequeunt omni tempore eiusdem esse vtilitatis. Quandoquidē diuinæ res perfectissimæ sunt: humani verò iuris conditio, semper in infinitum decurrit: & nihil est in ea, quod perpetuò stare possit: multas enim formas edere natura nouas deproperat, l. 2. §. sed quia diuinæ, C. de vet. iur. enucl. & diuinæ leges natura, humanæ verò moribus constant: quia aliæ alijs gentibus placent, c. omnes leges, 1. dist. Gentium diuersitas inducit diuersitatem morum, c. aliter, 31. dist. morum diuersitas inducit diuersitatem legum, c. illa, 12. dist. Variantur humanę leges: quia in rebus humanis bono melius inuenitur, & melioris optimum. Et quæ parum benè prima succedunt experientia, secunda nonnunquam commodius eueniunt. Finis legis est publica vtilitas; & quousque lex finem hunc non attingit; nequit consistere. Duplex causa esse potest, quòd lex humana mutetur, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 1. in responsione ad 1. arg. Vna ex parte rationis; Alia ex parte hominum, quorum

actus à lege regulantur. Ex parte rationis, quia humanæ rationi naturale esse videtur, vt gradatim ab imperfecto ad perfectum perueniat. vnde videmus in scientijs speculatiuis, quòd qui primo philosophati sunt, quædam imperfecta tradiderunt, quæ postmodum per posteriores sunt tradita magis perfectè: ita etiam in operabilibus: nam primi qui intenderunt inuenire aliquid vtile communitati hominum, non valentes omnia ex se ipsis considerare, instituerunt quædam imperfecta, in multis deficientia: quæ posteriores mutauerunt, instituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere possunt à communi vtilitate. Ex parte verò hominum, quorum actus lege regulantur, lex rectè mutari potest propter mutationem conditionum hominum, quibus secundùm diuersas eorum conditiones, diuersa expediunt. Hac igitur ratione, quia leges sunt mutabiles, vtile est legum studium; vt sint, qui perscrutari sciant, quid temporum varietas, quid mutatio morum, quid humana necessitas exposcat. Non enim mutanda sunt ea, quæ interpretationem certam semper habuerunt; nisi necessitas suadeat, l. minimè sunt mutanda, ff. de legibus. Et vtilitas euidens esse debet in rebus nouis condendis, vt recedatur ab eo, quod diù æquum visum fuit, l. in rebus nouis, ff. de const. Princ. Probat D. Tho. 1.2.q.97. art.2. in resp. legem humanã in tantùm rectè mutari, in quantùm per eius mutationem communi vtilitati prouidetur: habet enim ipsa legis mutatio, quantũ in se est, detrimentum quodam cõmunis salutis; quia ad obseruantiã legum plurimũ valet consuetudo, in tantùm quòd ea, quæ contra cõmunem consuetudinem fiunt,
etiam

etiam si sint leuiora, de se grauiora videntur: vndè quando mutatur lex, diminuitur vis constructiua legis, in quantum tollitur consuetudo: & ideò nunquã debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. quod quidẽ contingit, vel ex hoc, quòd aliqua maxima, & euidentissima vtilitas ex nouo statuto prouenit, vel ex eo, quòd lex consueta, aut manifestam continet iniquitatem, aut eius obseruatio est plurimum nociua. Hinc laudatur Zaleucus Locrensium Legislator, qui rectè constituit, vt quisque verba facturus esset de legibus innouandis, in publicum prodire deberet cum laqueo collo illigato; qui si populo id, quod proponebat, suaderet, exiret indemnis; sin contra, laqueo protinus attracto moreretur.

Mau. Sensit iste Zaleucus non modicum damnum ex legibus à se latis; nam vt refert Valerius Maximus, lib. 6. c. 5. statuit hanc in adulteros pœnam, vt deprehensi in adulterio vtroque orbarentur oculo. Oblato filio, multisq. testibus adulterij conuicto, cum neque paternum animum posset exuere, neque solus pœnę, quam in alio statuerat immunis esse vellet: sibi primum vnum oculum, quamuis plurimum reclamante plebe, & filij crimen patris virtuti condonante, deindè & filio alterum iussit erui.

Luc. Vtraque lex optima fuit. Indigni sunt luce, qui alieno insidiantur pudori. rectè admonet Ouid. lib. 3. de arte amandi:

Nupta virum timeat, rata sit custodia nuptæ:
Hoc decet, hoc leges, iusq. pudorq. iubent.

Comprimenda est temeritas iugiter affectantium re-

vitio caret, l. in ambigua, ff. eodem. Accidit ſæpè, vt lex obſcura ſit ratione ſermonis; & tunc benignè interpretanda eſt quò voluntas legis conſeruetur, l. benignius, ff. de legibus; aliàs fieret fraus legi, ſi legis ſententia, ſaluis verbis, circumueniretur, l. contra legem facit, ff. de legibus. Euenit aliquando, vt lex vel dura ſit, vel incerta, & tunc duritia legis emendatur Principis humanitate, & auctoritate Imperiali tollitur omnis dubitatio, l. leges ſacratiſſimæ, C. de legibus. & quoduis iſtorum præſtari, & effici nequit ſine ope iuriſprudentiæ, ſine prudentia Iuriſperitorum, l. humanum, C. de legibus. Non eſt ergò res iniucunda, dignoſcere qualis ſit verborum ſignificatio, & perſcrutari, an vna, vel altera legis menti conueniat. Dulcis eſt labor, leges latas ad iuſtitiæ, & æquitatis librã appendere: conſiderare an interpretatione indigeant, & iudicare num corrigi, vel reſtringi, num ampliari debeant, vel declarari. Suaue eſt ſtudium, perpendere vim verborum, rationem legum ponderare, elicere veros earum ſenſus.

Mau. Si minor eſſet legum numerus, hæc poſſent ſtudioſi inueſtigare; at multæ ſunt, & propè infinitæ, vt nec toto vitæ curriculo legi, minusq. memoria queant retineri.

Luc. Multæ quidem ſunt leges, at remanent plura, quæ nequeunt iure ſcripto terminari, l. neque leges, ff. de legibus. Infinitus non eſt legum numerus, cùm paucis voluminibus contineantur. Parùm refert, ſi omnes leges nequeant ſtudioſi memoria retinere: neque enim pauper cenſetur ille, qui domi habet multum pecuniæ, licèt ſecum parum ferat.

III. Si multæ ſint leges, mirum non eſt; quia remanēt plura legibus nō definita.

Mau. Quæ ergò est legis necessitas, quæ vtilitas studij legum, si multò plura sunt quæ legibus nequeunt definiri?

Luc. Satis prouisum est, quia lex cauit, vt quoties aliquid iure scripto inductum est, cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem suppleãtur vel Doctorum interpretatione, vel Principum iurisdictione, l. nam vt ait Pedius, ff. de legibus; vt scilicet de similibus ad similia procedendo, in omnibus ius dicatur, l. non possunt, ff. eodem; id quod effici nequit, nisi sint qui legum scientiam calleant.

Mau. Euentus, qui (vt fertur) est magister stultorum, optimè docuit, quàm vtilis fuerit ista hæc prouisio: cùm indè ortæ sint Doctorum interpretationes, quæ vastissima volumina impleuerunt.

IV. Interpretatio iurisperitorum quã necessaria sit

Luc. Non minùs necessariæ, & vtiles sunt Iurisperitorum interpretationes, quàm sint leges; quippè quæ omissa supplent, & sancita ab omni dubitatione conseruant. Quando res dubia non est, sufficit naturalis ratio, quæ pro lege habetur, l. scire oportet, §. sufficit, ff. de excusat. tut. dicebat Aristot. 8. de Phisico auditu quærere rationem vbi sensus fidem facit, ingenij esse infirmitatem. Quæ dubia sunt nequeunt sola naturali ratione definiri: requiritur auctoritas legis. erubescimus sine lege loqui, §. consideremus, Auth. de triente, & semisse. de dubitabili lex fertur, l. quod labeo, ff. de Carb. edict. cum lata est lex, non licet ab ea recedere, sublata remanet omnis dubitatio, non est disputationi locus etiam si ratione carere videretur, l. non omnium, ff. de legibus. Satis est dicere, ita placet Principi, ita scriptum est, §. sed & quod

Prin-

Principi, Instit. de iure nat. gent. & ciu. l. prospexit, ff. qui, & à quibus: quòd si necessariò reddenda esset ratio omnium, quæ constituuntur, multa ex ijs, quæ certa sunt, subuerterentur, l. & ideò rationes eorum, ff. de legibus; quamuis nulla ferè sit lex, cuius aliqua ratio, saltem naturalis, considerari non possit. Vbi lex per se plana est, nullam recipit interpretationem, ait Iuris Cons. in l. ille, aut ille, ff. de leg. 3. Cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. Id autem, quod dubium est, indiget interpretatione, l. pediculis, §. argento, ff. de aur. & argen. leg. lex quidem certa est omnium, quæ de præsenti sunt in rerum natura, sed non futurorum, l. cum quidam, §. suum, ff. de acq. hæred. Et legibus latis naturaliter euenire solet, vt prudentum interpretatio desideretur, l. 2. §. his legibus, ff. de orig. iur.

Maur. Cur ergò Iustinianus in l. 1. §. nostram autem, C. de vet. iure enucl. iussit, ne suis legibus commentaria applicarentur, adijcerenturve Iurisperitorum interpretationes? V. Iustinianus quæ cômentaria, & quas interpretationes prohibuerit adijci suis legibus.

Luc. Vt hoc faciliùs intelligas, dic mihi, vndè Iustinianus desumpsit suum ius, quod in libris digestorum Codicis, & Authenticorum, Institutionumq. reclusit?

Mau. Ex plurium Iurisperitorum interpretationibus, & Commentarijs, Voluminibusq. dispersis, d. l. 1. §. cum itaque, C. de vet. iur. enucl.

Luc. Quorum studio, & opera in illis componendis vsus est?

Mau. Tribuniani, & aliorum Iurisconsultorum, vt ipse enarrat in Procemio Instit.

Luc.

Luc. Ergò non despexit Iustinianus Iurisperitorum interpretationes, Doctorum studia.

Mau. Ex antiquorum operibus potiora selegit; recentioribus autem iura prohibuit interpretari.

Luc. Putas ne id fecisse, quia crediderit defecturam esse humanam prudentiam, & periturum humanum ingenium: ita vt posteri eorum studijs, & interpretationibus forent inutiles, & non valerent humanis necessitatibus eorum prudentia, & consilio, æquè, ac vetustiores, occurrere?

Mau. Sum anceps. nescio quid proferam; si hoc putasset Iustinianus, vtique vecors extitisset: natura enim non deficit in necessarijs, & omni tempore nascitur idem homo rationalis. at si id non sensisset, inuidus sanè posterorum studijs obstitisset.

Luc. Magna prudentia est, quæ semel collecta sunt, cauere, ne iterum confundantur. Collegit Iustinianus iura, quæ ne iterum confunderentur, sustulit eam Iurisperitorum interpretationem, quæ totum ius anteà conturbauerat.

Mau. Id minimè assecutus est. res accidit præter spẽ. Ius hodie magis, magisq. conturbatum est tot Doctorum libris, tot contrarijs interpretum opinionibus.

VI. De opinionibus varijs Doctorũ An ius conturbent.

Luc. Hæc ius non turbant. sed quę interpretatio fuerit sublata, mox intelliges. Antè Augusti tẽpora plures Iuriscõsulti apud Populum Romanum iura interpretabantur, respondebant de iure, libros, & Commentaria conscribebant. at id non agebant Principis auctoritate, sed fiducia studiorum suorum, l. 2. §. iuris ciuilis, in fin. vers. hoc tamen illi concessum erat, ff. de orig. iur. Probabiles erant eorum opiniones, non necessariæ;

cessariæ; vincebat ratio, non auctoritas. Postquàm respublica interijt, primus Diuus Augustus (vt maior iuris auctoritas haberetur) constituit, vt prudentes ex auctoritate eius responderent d.l.2.§.primus Diuus Augustus. Istorum responsa vim legis obtinebant, §.responsa prudentum, Instit.de iur.nat.gent.& Ciuil. Istorum contrariæ sententiæ, & diuersæ interpretationes iura confundebant. quod ne in posterum eueniret, eam respondendi auctoritate Principis facultatem Doctoribus ademit; non tamen restrinxit posterorum studia. tradidit eis facultatem interpretandi, l.vnic.C.de profess. qui in vrbę Constantinop.lib.12. vt scilicet possint Iuris, ac legum voluntates pendere, l.vnic.circa fin. C. de studijs liberalibus vrb.Rom., & Constantinop.lib.11. atque vt nō ita essent ampliùs velut iuris conditores, sed iuris conditi testes, quibus non propter auctoritatem, sed propter solam rationem credendum sit, ad instar eorum, qui reipublicæ temporibus leges interpretabantur, de quibus loquēs Cic.pro Cecinna dixit, Qui interpretes iuris vituperat: si imperitos iuris esse dicit: de hominibus non de iure ciuili detrahit. sin peritis non putat esse obtemperandum: non homines lædit, sed leges, ac iura labefactat. Hæc eadem interpretandi, & glossandi facultas datur in Doctoratu; & probabiles sunt sententiæ Doctorum, quæ studia legum coadiuuant: at iura minimè confundunt.

Mau. Perlegat quisque legum libros, verborum sensus consideret, ponderet disponendi rationes, non quiescit animus. recurrat studiosus ad glossas, & Interpretes; amittet statim quod multo labore ex legibus

VII. An interpretationes Doctorum confundant legū intelligentiā

gibus

gibus perceperat. totus confundetur. plus ignorabit, quo plus didicisse putauerat. variæ etenim, & controuersæ Doctorum interpretationes, diuersi legum intellectus, si ius non turbant, legum tamen intelligentiam confundunt.

Luc. Id nullatenus accidere potest, quandoquidem quisquis esset etiam ex peritioribus, qui contra casum legis loqueretur, tanquam negans prima principia redargueretur, l.regula,in fine, ff.de iur.& fac.ignor. loqueretur aduersus Solem, & manifesta controuertens, ignorantiæ notam incurreret, ait Arist. lib. 2. Rethoric. manifesta negare impudentia est. Non trāsiret sine reprehensione quicunque cōtrā leges,etiam per incuriā, opinaretur. inquit idem Arist. 1. Topic. qui negat ea,quæ clara sunt, doctrina non indiget,sed correctione. Duo sunt consideranda in quauis lege, ratio, & verba: quæ se habent inter se velut anima, & corpus; sicut anima dominatur corpori, ita ratio verbis, l. non dubium, C. de legibus. quando vel expressa est ratio legis, vel apparet de certa Legislatoris mente, debent verba omninò illi deseruire, etiam contra propriam significationem, c. secundo requiris,de appellat. l. cum pater, §. dulcissimis, ff.de leg. 2. Quisquis igitur suam opinionem desumeret ex cortice verborum, tanquàm Iudaicus interpres haberetur, irrideretur q. at vbi vel non est expressa ratio, vel colligi nequit Legislatoris intentio, talis eius mens præsumitur, qualem indicat verborum proprietas, à qua si quis recederet, diuinare potius videretur, quàm ratiocinari, l. non aliter, ff. de leg. 3. Sin autem verba clara non sint, sed multipliciter possint intelligi, sumenda

menda est interpretatio, vel ab alijs legibus (expedit enim iura iuribus concordari, c. cũ expediat, de elect. in 6.) vel ab eo, quod frequentiùs obseruatum est: consuetudo enim est optima legum Interpres, l. si de interpretatione, ff. de legibus. Si quis igitur argumentum sumeret ab eo intellectu, qui neque legi, neque consuetudini conueniret, velut deficientibus testibus, sua spontè secum murmuraret. Tandem si varij sunt alicuius legis intellectus; nec vnum magis, quàm alterum suadeat lex, vel obseruatio; nulla vis fieri potest in ea, non debet allegari ad decisionem causarum, l. in ambiguo, & ibi Bart. not. ff. de reb. dub. hasta flexili niteretur, qui eam pro se adduceret. Non ergò fieri potest, vt Doctorum interpretationes legum sensus perturbent.

Mau. Si ius dictum non turbant; confundunt tamen ius dicendum: quod vnus probat, confutat alter: cõfingere vult quisque nouas opiniones; nullus est contradicendi finis: in tantùm vt in rebus dubijs, & controuersis, quid de iure respondendum sit, omnibus penè ignotum videatur. VIII. An variæ Doctorum sententiæ cõfundant ius dicendum.

Luc. Corrupta est humana natura; nihil tam indubitatum est inter homines, quod non possit aliquam solicitam dubitationem recipere, Auth. de tabell. §. si verò indignus. Naturalis est hominum facilitas ad dissentiendum, l. item si vnus, §. principaliter, ff. de recept. arbitr. Terent. in Phorm. actu 2. scen. 3. sic ait: Quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos. Nihil est tàm peculiare cuique homini, quàm sibi placere, alteri contradicere, non semper sapere. Insita est cuilibet nostrum illa philautia, ille amor sui ipsius, quo

dictis,

dictis,aut factis proprijs, velut oculati, blandimur; at velut cœci, quæ nostra non sunt, prorsus negligimus. Legitur de Chrisippo Philosopho, qui propria animi propensione corruptus,interrogatus cui nam traderet filium suum præceptis philosophiæ instituendum, respondit sibi ipsi: subiungens, si alium me præstantiorem arbitrarer, apud hunc Philosophiæ operam daré. Multi quidem sunt Chrisippi, & multi sunt, qui suo ingenio oblectati, putant se esse vnicum Tiresiam, illum scilicet vatem, cui vt apud Homerum in Odissea legitur, Proserpina dedit, vt vita functus inter volitantes vmbras solus saperet. Inter cuiusuis artis, & scientiæ peritos naturalis ferè est æmulatio; & vulgò dici solet artem arti inuidere, figulum figulo, fabrum fabro. Nullus est æmulator, qui non se iactet,sua non extollat,non deprimat aliena. Quisque contradicit alteri, Quisque putat oraculum quidquid sibi sua ratio dictat, quidquid sua fert opinio. At non semper sapiunt isti. Qui nimium sibi placent, qui æmulationis gratia contendunt, sæpè contingit, vt noui operis, nouæ opinionis auctores in aliquo deficiant, & allucinentur; sed rectiùs alij iudicant. id quod docere voluit Socrates, dum dicebat,rectiùs iudicare obstetricem, quàm matrem ipsam. Hinc facilè intelligere potes, nequaquam cõfundi ius dicendum, quamuis vnus vnam opinionem struat, alter alteram: quia præualet ea, quæ à pluribus recipitur, vincit plurium calculus; nec tutum est egredi via, quam plures ingrediuntur.

IX. An controuersiæ Doctorum turbent studiosorũ mentẽ.

Mau. Si istæ Doctorum interpretationes, nec etiam confundunt ius dicendum; attamen eorum libri, quibus

bus vel ab alijs ſcripta reſcribunt, vel multa commiſcent, quæ aut erronea ſunt, aut controuerſa; vtique turbant mentem ſtudioſorum: quibus meliùs eſſet pauca addiſcere, & vtilia, quàm multa inutilia perlegere, cum temporis detrimento, & ingenij iactura.

Luc. Non poſſet quæuis opinio cenſeri recepta, niſi plures eſſent, qui eandem referent, & repeterent eaſdem rationes. Neceſſe eſt vt qui debent eſſe teſtes Iuris, conueniant in dictis, & rationibus. Non eſt nouum, vt per diuerſas vias ad eundem locum plures perueniant; nec raro contingit, vt plures teſtes idem concludant, & alij vnam, alij verò plures rationes afferant eorum dicti. Itaque damnandi non ſunt Doctores noſtri, ſi aliquando diuerſis argumentis in vnā coeant ſententiam, ſi ad illam comprobandam rationes ſuperaddant. Profectò non turbantur, ſed acuuntur ſtudioſorum ingenia; tametſi in libris aliqua ſint vel erronea, vel controuerſa; cum ita valeant ratiocinando errores euitare, & in controuerſia opinionū, quid veritati, quid iuſtitiæ conueniat, dijudicare. Nullus ſit ſtudioſorum Iuris, qui putet ſibi ſatis fore, ſi pauca ſciat: cum vix ſufficiat multa didiciſſe. Non ſufficiunt anguſta vaſa ad capiendum aquas emanantes ex copioſo fonte. non ſufficiunt parui riui ad irrigandum latiſſimos agros. Tres ſunt legum fontes; Omnium vberrimus, eſt mens, & ratio Diuina, vndè omnia iura fluunt. Alter vberior, eſt naturalis ratio, vndè proueniunt iura naturalia. Vber autem eſt ius humanum, vndè emanant iura Ciuilia, & Canonica. Qui hebeti ſunt ingenio, non accedant ad iſtos fontes, parum ſumpturi anguſtis vrnis. Latiſſimus ager hiſce

irri-

irrigandus aquis, sunt actiones humanæ, humana negocia. Libri sunt velut riui, qui nisi multi essent, & ampli, nequaquam sufficerent ad moderandas varias hominum actiones, ad infinita negocia definienda. Magna videtur esse felicitas, & dignitas illorum, qui se dederunt huic legum studio: quippè qui, cum sint homines nati ad intelligendum, ratiocinandum, & agendum; habent multa, quæ intelligunt, plura de quibus ratiocinantur, plurima, quæ agunt ad propriam vtilitatem, ad reipublicæ conseruationem, ad promouenda cæterorum studia.

Mau. De quibus loqueris?

Luc. Loquor de omnibus illis, qui legibus operam dantes discunt, docent, consulunt, patrocinantur, decidunt, iudicant: & de illis præsertim loquor, qui libros edunt; quippè qui intelligunt ea, quæ à legibus disposita sunt; ratiocinantur de ijs, quæ Doctores tradiderunt; & à similibus ad similia procedentes, de humanis actibus rectum iudicium ferunt; & quæcunque dispersa, confusa, mutilata hinc indè leguntur, recto ordine colligunt, sunt veritatis sectatores, qui Deo placent, glos. in l. puniri, C. si con. ius. vel vtilit. public. sunt sibi, & posteritati vtiles, non suffocant proprios partus, non sinunt perire susceptos labores, & quasi in horrea Domini præcipuos studiorum suorum fructus inferunt, c. reuertimini, 16. q. 1. Tria sunt in anima, Intellectus, qui præconcipit; Ratio, quæ discernit; Memoria, quæ conseruat, glos. in c. 1. in verbo, simplex, de summ. Trin. & fid. Cathol. Deperirent sanè operationes intellectus, & rationis, nisi memoria cōseruatrix opem ferret. Vtiliter igitur agunt illi, qui

suis

suis scriptis conseruant quæcunque egregiè, & vtiliter sunt constituta, & quæcunque doctè, & eleganter sunt explicata.

Man. Non video, quam laudem isti consequantur, quam mereantur gratiam: cùm nemo vnquam extiterit, qui in suis scriptis non errauerit, sententiam non mutauerit, reprehensus non extiterit. X. An iuris Interpretes laudem mereātur, etiam si in aliquibus errauerint.

Luc. Errandi facilitas non detrahit laudi. Laus est non multum errare. Necesse est, vt homo erret; ne aliàs inflatus crederet, se hominem non esse. Rectè dixit Imper. in l. 2. §. si quid autem in tanta, C. de vet. iure enucl. penitus in nullo peccare diuinitatis magis, quàm mortalitatis est. Ait Cic. 12. Philip. circa princ. cuiusuis est hominis errare, nullius nisi insipientis, perseuerare in errore: posteriores enim cogitationes (vt aiunt) sapientiores esse solent. Prouenit vt plurimùm error ab illa philautia, ab illo nimio sui ipsius amore: at si cuique suum naturaliter non placeret, nemo esset, qui moliretur quidquam: iaceret quisque desidiosus, & iners. Laudem pariter non mediocrem merentur Scribentes, quamuis in aliquibus errauerint; nam idem Pater, qui creauit boues, creauit & culices; & in magna domo non solùm esse debent vasa aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia, c. qui secundùm carnem, 23. q. 4. in libris plura sunt vera, & erronea pauca; & ideò quemadmodum dicebat Turrecremata in cap. Sancta Romana Ecclesia, distinct. 15. num. 20. in libris vera principaliter sunt attendenda, & pauca inueniuntur veritati contraria: & propter pauca inutilia, non sunt tàm vtilia repudianda.

Si ergò boues sunt magni, & culices paruulæ; fateri necesse est, magnam afferre vtilitatem ea, quæ in libris vera continentur, & vtilia. Ea verò, quæ vel insipidè, vel erroneè scripta sunt, nullam afferre perniciem; sed velut culices, studiosorum mentes, quasi à somno reuocare, & excitare ingenia ad emendationem. Diuus August. vt legitur in cap. fin. 24. q. 3. quærens quare Diuina prouidentia permittat multos diuersi erroris hæreticos esse, respondet, vt nos excutiamus pigritiam, & diuinas Scripturas nosse cupiamus. Non sunt ergò indigni laude Scribentes, si, vel in Iure Ciuili, vel Canonico errauerint: quandoquidem naturali ægritudine cæterorum studia promouent: nec sunt auctores alicuius dissidij, cum legem, vel canonem malè intelligere; non sit peccatum, cum sit de Iure positiuo. Abb. in c. cum post, num. 4. de elect. at qui Scripturas sacras malè intelligunt, tanquam vino inebriati omninò damnantur, c. vino, 37. dist. Laudandi sunt illi, qui veritate cognita, sententiam mutant; meliùs est se ipsum corrigere, quàm expectare ab alijs corrigi. cogitationes posteriores sunt meliores, & sapientis est mutare consilium in melius. Opinionem mutauit D. Augustinus, vt legitur in cap certè, 12. q. 1. ibi: Ecce in conspectu Dei, & vestro muto consilium. & multa de suis dictis retractauit in libris retractationum, prout etiam legitur in c. quodam loco, 26. q. 4. ibi, Rem dixi occultissimam audaciori asseueratione, quàm debui. Qui demùm ab alijs reprehensi extiterunt; non ideò propriæ gloriæ detrimentum fecere. Seruius Sulpitius scripsit librum de notis

Mutij

Mutij Sceuolæ eius Præceptoris, l. Mutius, ff. pro Socio: non tamen Mutij fama interijt. Papiniani quædam dicta obseruarunt Vulpianus, Paulus, & Martianus, qui de notis eius scripserunt, l. 1. ibi, & ideò quæ anteà in notis Emilij Papiniani ex Vulpiano Paulo, necnon Martiano adscripta sunt, C. de vet. iure enucl. non tamen diminuta est Papiniani gloria, quippè qui acutissimi ingenij vir, & meritò antè alios excellens appellatus est, l. cum acutissimi, C. de fideicom. Celsus Celsi patris sententiam arguit, l. 3. §. si quis quasi statu liber, ff. de cond. caus. data: non tamen eius famam depresit. Reprehendit Baldus errata Bartoli, Baldi lapsus Posteriores notarunt, & succesiuè alij redarguerunt Vetustiorum errores, & proprios Recentioribus corrigendos dimiserunt. Quid tum? purgatus est vniuersus ager Iuris prudentiæ. expunctis cuiusuis erroribus, paucisimis quidem, magis emicat Auctorum celebritas, & excellentia: sicut agri felicitas dignosceretur, & extimaretur vbertas, quando adhibita omni diligentia, non essent nisi modicæ quædam herbę nullius fructus, quæ euellerentur.

Mau. Non sunt ergò interdictæ Doctòrum probabiles opiniones, & interpretationes eorum non commouent ius conditum, non turbant ius dicendum, non confundunt studiosorum mentes. at quoniam permulti diuini propè ingenij, & eximiæ doctrinæ ità interpretati sunt, & eorum virtutis monumenta reliquerunt: adhuc non intelligo, quid supersit, vt recentiores interpretentur, impleant paginas, fatigent Impressores, bibliothecas impleant, imponant iugiter studiosis noua vectigalia. XI.

Recétiorum interpretationes post plura antiquorum Cómentaria, an vtiles sint.

Luc. Vulgata sunt Sapientum dicta: magnam partem eorum, quæ scimus, esse minorem eorum, quæ ignoramus: & artem longam esse, vitam verò breuem. Hinc Plato aiebat velle esse discipulum donec meliorem, atque peritiorem esse ipsum pœnituisset: & Saluius Iulianus, qui fuit sapientissimus legum, ac perpetui Edicti conditor, dicebat, etsi alterum pedem in tumulo haberem, adhuc tamen addiscere vellem, l. apud Iulianum, ff. de fideic. libert. & Theophrastus qui Peripateticorum eloquentissimus, doctissimusq. fuit Aristotelis discipulus, & in schola successor, moriens accusabat naturam vti nouercam, quæ dedisset vitam diuturnam ceruis, & cornicibus, quorum id nihil interest; hominibus autem quorum maximè interfuisset, tàm exiguam dedisset. Vndè fit, vt existimemus, antiquiores non valuisse omnia scire, omniaq. perficere; sed posteris reliquisse multò plura, quæ & ipsi scire, & perficere possint: arbores antiquis temporibus fructus produxerunt, nostris autem sæculis non sunt aridæ; aptæ quidem sunt ad similes fructus, æque copiosè producendos. Nec est desperandum in legum scientia, quamuis plures Bartoli, vel Baldi non visi sint consurgere: sat est quemlibet præstare, quod in eius facultate est: omni ætate floruerunt ingenia, viri excelluerunt, prodierunt monumenta, & quamuis sidus à sidere differat; omne tamen sidus Cælo ornamentum adfert: sed rem propiùs attingendo, aliud dicam. Leges nulla alia ex causa nos tenent, quàm quòd iudicio populi receptæ sunt, l. de quibus, vers. nam cum ipsæ leges, ff. de legibus.

nec

nec sequimur Doctorum opiniones, nisi quatenus lege, ratione, vel auctoritate nitantur, & à cæteris recipiantur. Ait Terent. in Adelph. actu 5. scena 4.

Nunquam ita quisquam benè subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat: vt illa, quæ te scire credas, nescias.
Et quæ tibi putaris prima in experiundo repudies.

Sanè nulla accidit nouitas, quæ non pariat varios effectus, & vt cecinit Cornel. Gallus in lib. Eleg.

Euentus varios res noua semper habet.

Et propterea Imperator in Auth. de consanguin. & vter. fratr. in princ. inquit, multis vndique natura nouitatibus vtens, ad opus multarum nos protrahit legum: cùm igitur experientia, vsus, & iudicium populi sæpè mutent leges, & varient opiniones; sine dubio locus est recentioribus, qui qualitates temporum, & morum diuersitates considerant; & quæ ab antiquioribus dicta sunt, animaduertunt, & reformant. Isti si paginas implent, non transeunt vitam cum silentio, non perdunt traditum talentum: si opera typis excudenda committunt, rationem reddunt eorum villicationis: si volumina impressa venalia habent, non exigunt præmium doctrinæ, neque impressionis precium extorquent.

Mau. Nunc opportunè repetam sigillatim alia, quæ dicebam in secundo congressu, vt antequam dies intereat, illis quoque satisfacias. Dicebam studiũ istud versari circa ius Ciuile, & Canonicum: Ciuile autem consistere in libris, quos Iustinianus composuit: qui cum fuerit litterarum ignarus, & analpha- XII.

Lucius Iustinianum Tribunianũ, & alios Iurisconsultos ab obiectis breuiter defendit.

 betus,

betus, inferebam dantes operam Iuri Ciuili, imperitum habere Præceptorem.

Luc. His, qui id dicere ausi sunt, non multùm defero; sed hoc parùm interest: quandoquidem quod Imperator scientia nequiuit, gloriosa auctoritate perfecit.

Man. Adhibuit operam Tribuniani, qui non transiuit sine nota magnæ auaritiæ.

Luc. Minorem fidem præsto virum insignem calumniantibus: at satis est, quòd Tribunianus, & cæteri, quos ad gloriosum opus Imperator elegit, collegerunt ea, quæ ad iustitiam attinent, non quæ ad auaritiam.

Man. Desumpserunt omnia ex scriptis illorum, qui verum Deum non cognouerunt.

Luc. Iustitiam tamen virtutum præcipuam, lumine naturali haud quaquam extincto, coluerunt. Extiterunt præclarissima exempla in operibus iustitiæ, in iure dicundo, imitatione digna apud omnes. Laudatur Gallus Aquilius, quippè qui in cauendo, non in decipiendo insistebat; & Iuris Ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiunxit; & ita iustus, & bonus vir fuit, vt natura, non disciplina consultus fuisse videretur: istius responsis plena sunt Digesta. Extollitur Seruius Sulpitius, qui non magis Iurisconsultus fuit, quàm iustitiæ; & ea quæ proficiscebantur à legibus, & Iure Ciuili semper ad facilitatem, & æquitatem referebat: non lites constituere, sed controuersias tollere studebat: huius responsa exornant Iustiniani libros. Sed omissis aliorum Iurisperitorum encomijs, ex quorum libris Iustiniani leges sunt desumptæ; hoc dixisse sufficiat; Omnia per Iustinianum

colle-

collecta, exceptis quibuſdam, pauciſſimis tamen, quæ canonica æquitas temperauit, fuiſſe longo vſu, iudicioq. vniuerſi populi Chriſtiani recepta, & religioſorum Principum auctoritate comprobata: ita vt vera iuſtitiæ dogmata ab omnibus exiſtimentur, addiſcantur, & obſeruentur.

Mau. Conqueruntur nonnulli de Iuſtiniano, quia perdidit tot ſcriptorum labores, tantam doctrinam, & elegantiam. XIII.

Iuſtinianus nullum damnum intulit dum ex pluribus Iuriſcõſultorum libris potiora ſelegit, & reliqua perdidit.

Luc. Iniuſta querimonia eſt, quando excuſſis paleis grana reponuntur; quando extracto muſto abijciuntur cortices, & racemi. Non perierunt Iuriſperitorum labores, non doctrina, neque elegantia: viuunt nomina illorum, glorioſa eſt eorum memoria: & quæcunque præcipua ſcripſere, remanent velut aurum puriſſimum.

Mau. Sunt tàm breuia, & mutilata (inquiunt) vt neceſſariò ſint obſcura; & quot adhibeantur Interpretes, tot exoriantur intellectus. XIV.

Leges cõtentas in libris Iuris Ciuilis reſpõdet Lucius, non eſſe imperfectas, vel diminutas, & dicit quædam de tempore.

Luc. Si leges Ciuiles in tuorum ſtudiorum progreſſu benè conſideraueris, nihil reperies, quod imperfectum ſit, vel diminutum. Fateor nonnullas eſſe, quæ diuerſimodè per Doctores intelliguntur; at id non legibus, non compilatoribus, non Interpretibus, ſed temporum mutationi adſcribendum eſt.

Mau. Tempus eſt igitur omnium malorum reus.

Luc. Hanc ſententiam non fero: ſi Iudex forem, tempus ab obiectis abſoluerem, non condemnarem.

Mau. Abſolueres tempus edax rerum, tempus inuidum?

Luc. Tempus, quod omnia producit, quod omnia

inter omnes æquè distribuit, non condemnarem: tempus producit, non ager; vetus est prouerbium: paterna æquitas est, non inuidia, quæ non sinit primogenitos omnem laborem impendere, omniq. substantia frui: sed aliqua recondit, vt posteriores natu habeant, quibus & ipsi laborent, & fruantur. Nisi tempus plura mutaret, pluraq. absconderet, omnis labor, omnisq. fructus esset antiquorum: non haberent successores quid agerent, nihil prodesset ingenium; nulla inter eos esset industria. Tempore Iustiniani erant omnes eius leges claræ, & perspicuæ: at confuso idiomate, rebusq. mutatis nonnullæ apparent difficiles, & scabrosæ; vndè fit, vt ex legum peritis cuiusuis ætatis multi sint, qui dolium cum Diogene voluant, qui ferant ligna, lapidesq. ad opus.

XV. Libri Iuris Ciuilis an cōpositi sint absque ordine, & an cōtineant contrarietates.

Mau. Sunt alij qui dictitant, libros Iustiniani compositos esse sine ordine, eosq. plura continere, quæ inuicem pugnant, & contrariantur.

Luc. Isti latrant ad hostium, rem intus non inspiciunt, non vident quid glosæ notauerint, quid considerauerint Interpretes. Profectò nihil est, quod consistere possit sine ordine. Non est perfectæ cognitionis, scire quid facias, & nescire quò ordine, dicebat Diuus Ambrosius, vt refert Bald. in Præfat. ad libros Digestorum, in princ. Nos nihil intelligere, scireuè possumus sine ordine. Contraria autem non pugnāt; quia vnum cedit alteri; & posteriora derogant prioribus; & ad positionem vnius contrarij necessariò sequitur alterius destructio, l. Pomponius, §. sed & is, ff. de Procurat. Igitur si quid compilatores Iuris Ciuilis præstiterunt, non sine ordine egerunt: si quid

primæ-

primæuis illis temporibus Iuriſprudentes intellexerunt, non ſine ordine ex Iuſtiniani libris perceperunt: ſi quid noſtris temporibus ſcimus, non ſine ordine ex eiſdem addiſcimus. Qui ſi aliqua continent, quæ contraria ſint, & correcta, vtile eſt, vt iuxta terminos legis correctæ, lex corrigens intelligatur, §. fin. in Auth. de fil. antè dot. inſtr. nat. Cic. lib. 1. de Oratore, paulò ante finem, hæc dicit; ſi aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, vt primùm omne Ius Ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt, deindè eorum generum, quaſi quædam membra diſpertiat, tùm propriam cuiuſque cùm definitione declaret, perfectam artem Iuris Ciuilis habebitis, magis magnam, atque vberem, quàm difficilem, & obſcuram. Hoc effecit Iuſtinianus, qui iura digeſſit, detraxit, adiecit, mutauit: qui reſecatis ſuperuacuis, ſublatis contrarijs, omiſſis, quæ in deſuetudinem abierant, leges compoſuit, ſubdidit congruis titulis, diſtinxit libros recto ordine, totius denique iuris breue compendiũ obtulit, vt in procem. Inſtitut. & rectè quidem dixit in ſuis libris, nihil contrarium inueniri, ſi quis ſubtili animo diuerſitatis rationes diſcutiat, l. 2. C. de vet. iur. enucl. Docuitq. oportere leges legibus concordare, l. vnic. C. de inoff. dot. Et hæc omnia Iuſtinianum vtiliter præſtitiſſe, oſtendunt Gloſſatores, & Interpretes: quippè qui primò inueſtigant, qua ratione titulus ad titulum, & materia ad materiam connectatur; mox cuique legi contraria ſignant, conciliant, ſoluunt: & ex legibus correctis veros eliciunt ſenſus legum corrigentium.

Mau.

XVI. Glossatores, & Interpretes legum quam vtilitatem attulerint, & an vtilis sit librorum copia.

Mau. Ergò tot glossæ, tot interpretationes, tot legistarum volumina necessaria sunt ob solam cognitionem connexitatis materiarum, ob solam intelligentiam legum Iustiniani?

Luc. Glossatores, & Interpretes, qui in continuationibus rubricarum, in solutionibus contrariorum, in explicationibus legum, insistunt; vtique vberrimum Iuris Ciuilis fontem reparant, expurgant, conseruant. Qui verò student in pertractandis materijs, & in decidendis nouis casibus, sanè ex publico Ciuilis sapientiæ fonte, aquas hauriunt, congregant paruis vasis ad vtilitatem sitientium, ad vsum commodiorem. Huiusmodi ministeria si vtilia sunt, & necessaria; fateri oportet, etiam ministrantium multitudinem necessariam esse, & vtilem.

Mau. At multi sunt qui conqueruntur de tanto librorum numero, cogitantq. de modo resecandi tantam librorum multitudinem.

Luc. Isti aut non sitiunt, aut labore teruntur, aut retrahuntur impendio: si sapientiores in hanc iuissent sententiam, hactenus id peractum fuisset: at non exsiccantur fontes, aquæ semper fluunt; & nisi essent, qui eas colligerent, dilaberentur inutiliter, & vasis cõfractis deperirent. Librorum multitudo minuit laborem, non auget. memoriæ labenti plenè succurrit. Plura quæ sparsim tradita sunt in vnum colligere, magnus quidem labor est Auctoris: Lectorum autem exiguum est onus, sed maxima vtilitas. Dicebat Diuus Hieronymus in epist. 40. vtinam omnium tractatorũ haberem volumina, vt tarditatem ingenij eruditionis diligentia compensarem. Dicebat Cato:

Multa

Multa legas, facito perlectis, perlege multa.

Hic Cato meritò à Cicerone laudatur in lib. 3. de finibus bonorum, & malorũ in principio; dum ait, quo cum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nesciebam, vidi in Bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris: erat enim, vt scis, in eo inexhausta auiditas legendi, nec satiari poterat: quippè qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere: sæpè dum Senatus cogeretur, nihil operæ reipublicæ detrahens, quò magis tum in summo otio, maximaq. copia quasi heluo librorum (si hoc verbo tàm in clara re vtendum est) videbatur. Sumptus autem in comparandis libris, graues non putant illi, qui scire cupiunt. Plato egenus erat, Pithagorici tamen philosophi libros decem millibus denariorum emit. Aristoteles Platonis libros emit duobus millibus sextertijs. Beatus Thomas consueuerat dicere, quòd magis vellet habere Chrysostomum super Matthæum, quàm Ciuitatem Parisiensem, ita refert Oldrad. cons. 84. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, dicit Ecclesiastic.c. 39. in princ. Studiosi cuiusuis doctrinæ, qui plures libros legunt meliores fiunt, & doctiores, l. penult. ff. ad exhiben. & iuxta vulgatum Plinij dictum nullus est liber tàm malus, qui aliqua ex parte nõ prosit. Pauci sunt qui in emendis supellectilibus, vestibus, picturis, alijsq. ornamentis liberales non sint: pauci etiam sunt ex legum studiosis, quos tedeat libros emere, quibus laborem minuant, augeant memoriam, scientiam perficiant.

Man.

XVII. Respōdet Lucius fieri nō posse vt paucis libris seruatis, reliqui tradātur igni.

Mau. Putant aliqui id melius euenire posse, si paucis libris seruatis, reliqui omnes comburerentur: vel si opera Principum, ex tot libris ea, quæ præcipua sunt, colligerentur in vnum, & perderentur reliqua: aut saltem si controuersiæ, quæ sunt inter Doctores in quauis quæstione, & materia, Principis lege definirentur.

Luc. Qui librorum molem ægreferunt, pro illis resecandis non indigent alieno auxilio: spontè possunt sibi prouidere: non emant plures: si multos habent, contenti paucis reliquos tradant studiosis, non igni; ne iacturam lignorum superaddant. Qui verò ex pluribus libris vnum confici posse arbitrantur; eligant virum, qui id agat: nemo est, qui suo ingenio artem aliquam possit perficere, & totū fontem ebibere: nemo est, qui futura omnia possit præcauere; & prouidere, ne aquæ fluant, excurrāt, erumpant. Nemo est, qui ex pluribus libris vnum possit perficere, & vase paruo includere copiam aquarum. Nulla est ars, quæ singulari sit consummata ingenio: omniū rerum principia sunt parua, sed suis progressibus vsa augentur. Nō obstant inuentis inuenta; de indiuiduis scientia esse non potest: indiuidua sunt propè infinita, vt nulla arte recipi queant, nullaq. disciplina comprehendi. Duo sunt, quibus omninò credere debemus, auctoritas, & ratio; auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor. Sanè qui diuino non sunt ingenio, si solis rationibus vellent verum comprehendere, rationum similitudinibus deciperentur, laberenturq in varias, & erroneas opiniones. Sublatis itaq. tot libris, remaneret lex, & ratio; at deperiret prudentum au-

ctoritas;

ctoritas: & in contigentia facti nemo esset, qui breui tempore considerare, & comprobare posset, quæcũque tot Scriptores in tot sæculis, cum tot laboribus ingeniosè considerarunt, & iustè comprobarunt.

XVIII. An vtile foret aut Principes controuersias Doctorũ sua lege definiret.

Mau. Augeretur ratio, inquiunt multi, & augeretur auctoritas, si, quæ ad ciuilem prudentiã pertinent, imperiali auctoritate; & quæ ad æquitatem canonicam spectãt, Pontificio imperio ex pluribus Auctorum voluminibus, per aliquos ex prudentioribus, doctioribusq. eligendos, redigerentur in vnum: tunc enim ratione, & auctoritate legis, semotis ambiguitatibus, tutiores duceremur.

Luc. Fons ciuilis sapientiæ extructus est: vberrimus extat fons canonicæ æquitatis: perfectum est publicũ opus; nihil superest, nisi vt priuati aquas hauriant, cõgregent, conseruent, non turbent. at quòd aquæ priuatorum ingenio priuatis vrnis collectæ, reduci deberent ad eundem fontem publico iussu, nulla vmquã vrgeret necessitas, nulla suaderet vtilitas. scaturiẽs aqua pugnaret; confunderetur vna cum altera; totus fons conturbaretur. In collectione noui Iuris ex priuatorũ libris magnum subesset periculum; ne plura corrigerentur, quæ Iure antiquo optimè essent constituta: nimirum in rebus humanis nulla cura sufficit, nulla diligentia; semper vel omissum est aliquid, vel non satis pensatum. Si tollerentur libri omnes, & componeretur vnus, abirent quidẽ superflua; sed multa insimul vtilia deperirent: non resecantur putrida, nisi & quæ valida sunt insimul lacerentur. sed res adhuc non cõsisteret; maiores orirentur difficultates, excitarentur plures quęstiones, an posteriores leges abrogarẽt prio-

res,

res, vel restringerent, vel extenderent, iuxta text. in l. non est nouum, & in l. sed posteriores, ff. de legibus. & quòd summè dolendum esset, deperditis tot propè diuinorum ingeniorum laboribus, de nouo agendum esset inter iuniores, qui incongruis, sophisticisuè, aut etiam subtilioribus interpretationibus, totam iuris scientiam omni procul magistro, confunderent.

Mau. Abeant igitur quicunque cogitant de resecandis libris, de exturbandis Auctoribus.

Luc. Sat habeamus, vt sileant. profectò necesse non est, vt Principes tantum oneris assumant, & inutilis esset labor eorum, qui ad hoc opus eligerentur. Huic malo faciliora dantur remedia: si quid iure definitũ, vel Doctorum opinionibus comprobatum Ciuitatis regimini parùm conuenire experientia doceat; tunc vel Princeps æqua lege, vel populus æquo statuto occurrit. Si quid controuersum remanet, is qui iuri dicundo præest, dignoscit quæ opinio sit æqua, & quæ communis. & fortè maiorem iustitiam, & æquitatem sapiunt communes Doctorum opiniones, quàm placita Principum; quippè qui vel paucorum consilio, vel proprio nutu sanciunt. Scribentes autem non sine rationibus, eisq. maturè consideratis, opinantur.

XIX. Laudandi sũt Doctores, dũ aliorum opiniones refellere, & nouas struere iure nituntur.

Mau. Siste parum: multi obijciunt scribentibus quod studio contradicendi, & æmulationis impetu varias opiniones concipiunt, & se se præ inuidia mordent, præ superbia lacerant.

Luc. Neminem inueni, qui spreto Apostoli præcepto ad Rom. c. 13. scripserit in contentione, & æmulatione, quivè spreto Sapientum consilio suis scriptis salem

ſalem apponere, ſuamq. ſententiã ad æquitatis, & iuſtitiæ libram appendere neglexerit: ſcio multos acriter, & ingenioſe quæſtiones, à veteribus examinatas, diſputaſſe, & modò vnam, modò alteram opinionem reſpuiſſe: quos exiſtimo ſumma laude dignos; quia diſputatio multum prodeſt ad ſtudium, ad veritatem eruendam. Arcadius Iuriſconſ. in l. munerum ciuilium, §. mixta munera, ff. de muner. & honor. Laudat Herennium, & Modeſtinum; quia notando, & diſputando benè, & optima ratione decreuerunt. Sunt nonnulli, qui ſe iactant in confo●enda propria opinione, & excandeſcunt in refellenda alterius ſententia; ſed hoc eſt naturale vitium æquo ferendum animo: deſipere etiam videtur natura ipſa, quando monſtra profert, & nociua producit. Comperio inter Scribentes vno tempore, vnam valuiſſe ſententiã, & alio tempore contrariam præualuiſſe: non miror; ille, cui omnia parent, & à cuius nutu omnia pendent, plura ſapientibus, prudentibusq. abſcondit, quæ reuelat paruulis. Matth. c. 11. Sunt maiores, ſunt inferiores Iudices, & qui minor eſt, veritatem meliùs aliquando inueſtigat, l. potioris gradus, C. de off. rect. Prouinc. & non rarò poteſt vnius forſan deterioris ſententia, & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare, l. 2. §. ſed neque ex multitudine, C. de vet. iure enucl. accidere igitur poteſt, vt ſi vno tempore pauciores multitudini non benè ſentienti cedant; alio tempore à pluribus rem æquè benè penſantibus, ſubleuati ſuperent: ait Sarnen. in reg. de trien. q. 5. verſ. itaque. Hoc malum videri datum mortalibus in pœnam, vt eorum opiniones ſecundùm varietatem temporum ſeneſcãt,

&

& intermoriantur: aliæq. diuersæ, vel prioribus contrariæ earum loco renascantur,& pubescant. ait Pers. sat. 5.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus:
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Accidit aliquando, vt etiam qui prudentiores sunt alijs, vel rem non benè intelligant, vel minus deliberatè respondeant, Bellam. decis. 42. ideò quorumuis opiniones sequi non tenemur, quando tales non sunt qui possint legẽ condere,& sua dicta ratione non probant, Gemin.cons.142.num.2. circa fin. & quando in contrarium apparent validiores rationes, etiam cuiusuis minimi Doctoris, Franc.in c.duobus, nu. 10. de rescript. in 6. non enim putamus verum, nisi vel quod lege sancitum est, vel quod ratione probatur, c. ego solis, 9. dist. sed hæc varietates, & mutationes opinionum, quia non nisi in difficilioribus contingere solent: ideò Principes consueuerunt in dirimendis perplexitatibus facti, in decidendis ambiguitatibus iuris, in dijudicandis Doctorum opinionibus, certum Iurisprudentum numerum præficere: illud enim cẽsetur iudicium integrum, quod plurium sententijs confirmatur, c. extra conscientiam, 64. dist. c. prudentiam, 1. resp. in fin. de off. deleg. Et faciliùs inuenitur,quod à pluribus quæritur, c. de quibus, 20.dist. Et attenditur id, quod obseruatur vbi copia est prudentum, c. sicut nobis, de sent. & re iud.

XX. *Man.* Ergonè Decisionum Rotæ Romanæ auctoritas ex solo numero pendet?

Decisiones Rotę Romanæ, quã auctoritatẽ habeant.

Luc. Non pendet earum auctoritas ex solo numero; sed etiam ex personarum qualitate; quia assumuntur

Audi-

Auditores ex primarijs Vrbibus diuersarum Nationum, & ex nobili genere, qui velut plantæ generosiarum arborum statim cum fructu sunt: & tanquàm benè nata ingenia, statim maturescunt, & ad frugem perueniunt. Non nominantur per alios, quàm per Vniuersitates, Principes, Reges, Imperatores. Non eliguntur per alium, quàm per Pontificem. Non admittuntur nisi præuio totius Romanæ Curiæ consensu, post peractum publicè periculum eorum ingenij. Non recipiuntur per Collegas, nisi facto particulari experimento eorum peritiæ. Qui cum tot testes habeant eorum virtutis, digni sunt, vt ab omnibus conspiciantur, & obseruentur. In leuibus negocijs non occupantur; student in difficilibus explicandis: tunc quando in Vrbe, in communi omnium patria, in omnium scientiarum hospitio, in præcipuo iurisprudentiæ domicilio, viri doctiores, & excellentiores, ex illorum ordine, qui, & Procuratoris, & Aduocati munere funguntur, congestis prius, discussisq. rationibus, quæ suam partem adiuuant, trutinatisque, & reiectis aduersis, rem Rotæ, quasi orbi perfecto, offerunt: tunc quando, informationibus partium benè examinatis, assumunt Patres, quæ potiora sunt; & reddunt vota per Turnum, componunt decisiones, & quasi in globum totam massam reducunt, & in causarum repropositione, eandem decisionem (si quid partes omiserunt) quasi incudine emendant, ignevè perficiunt. Præ oculis semper habent veritatem, & æquitatem. Non pugnant clausis oculis Andabatarum more. Virtutis eorum præmia sunt gradus sublimiores, ad quos pro

dignitate promouentur. Tanta est apud nos auctoritas Rotæ, quanta fuit Pithagoræ apud Pithagoricos; vt nullus non satis esse putet dicere, sic Rota definiuit, Grauat. ad Vestr. in praxi, lib. 2. c. 17. num. 3. In arduis Rotæ decisiones sequimur, sicut in tenebris lumen. Eas Doctores omnes, omnes Iudices in honore habent, tanquàm Doctrinas magistrales. Consilium Neapolitanum consuluit Rotam Romanam in quadam casu dubio, & secundùm eius opinionem iudicauit, Afflict. decis. 351. num. 10. Nec mirandum est, cum ea sit tanquàm omnium Iurisconsultorum auriga, & tanquàm Iuris lucerna totum illuminans Orbem, solita semper æquitatem amplecti, vt ait Franc. Viuius decis. 486. num. 13. Et non est locus in mundo Ecclesiasticus, vbi causæ ità benè terminentur, sicut ibi, vt experientia docet: & hoc facit copia peritorum, quæ ibi est; & disertissimus modus causas audiendi, consulendi, & decidendi, qui ibi habetur, vt dicit Bellam. decis. 37. circa finem. Iam verò Maure mi aduesperascit, colligamus sarcinas; & si quid superest ex eis, quæ huic studio legum obijciebas, breuiter repete, vt breuiter absoluam.

Mau. Quoad Ius Ciuile acquiesco. optimè intellexi, illud consistere in libris Iustiniani, velut in fonte publico: & in libris Doctorum, velut in priuatis vrnis ad faciliorem haustum. Immortalis itaque sit Iustiniani gloria, qui hunc vberrimum fontem ciuilis sapientiæ construi fecit. Detur laus immortalis Iurisprudentibus, qui in constructione huius celeberrimi fontis elaborarunt. Immortalis sit honor Iuris-

con-

consultorum, ex quorum libris Ius Ciuile desumptum est, quasi ea, quæ proprio studio collegerunt, ad publicum opus mutuauerint. Numquam pereat memoria Glossatorum, & Interpretum, qui pro huius fontis expurgatione, & conseruatione inuigilarunt. Vnum ægrè fero, videlicet mutuas Glossatorum, & Interpretum detractiones.

Luc. In hoc etiam acquiesces. Hirnerius, vt dicebas, fuit lucerna Iuris: aliqui tamen dixerunt, ab eo tenebras legum initium sumpsisse. Hoc non officit: ab Hirnerio cæteri omnes plura didicerunt. Azo obiecit Placentino, quod in aliquibus somniauerit; cum tamen in pluribus secutus est. Odofredus deridebat summam Ioannis Bosiani; ex ea tamen plura collegit. Non desunt, qui Azoni obloquuntur: At omnes Azonem sequimur. Baldus aliquando reprehendit Bartolum; sed vt plurimum eius opinionem amplectitur. Sic Iuniores omnes, qui aliqua vetustiorum dicta carpunt, eorundem sententijs, proprios libros exornant: maxima laus est illorum, qui in paucis visi sunt errasse: maxima gloria est Scribentium, qui, vt se homines esse testentur, aliorum correctioni se libentissimè subijciunt.

XXI. Glossatorũ, & Interpretum mutuas detractiones Lucius excusat.

Mau. Memini legisse, quòd D. Hieronymus dicere solebat, inuidos libenter occultè legere, quæ publicè latrant; & eum solũ malignantium linguas euitare, qui nihil scribit. Transeamus ad Ius Canonicum. Dicebam illud collectum esse in libris Decreti, & Decretalium, ex decretis Conciliorum, dictis Sanctorum, & Constitutionibus Pontificum; illud subiungebam,

non minus, quàm Ciuile, varijs glossis, & commentarijs conturbari.

Luc. Iam verò quid dices?

XXII. Pontificij Iuris libros velut fôtes canonicæ æquitatis Maurus agnoscit.

Mau. Non immemor eorum, quæ probasti, dicam, libros Iuris Pontificij, velut æquitatis Canonicæ fontes existere. Glossatoresque, & Interpretes, eiusdem æquitatis vbertatem conseruare, & augere.

XXIII. Leges non sût tela araneæ, & non trahitur homo diuersis legibus in diuersas partes.

Luc. Tu itaque daturus operam legum studio, non dices ampliùs, leges telas araneæ; nisi quatenus, qui iuri præessent, rumperent vincula iustitiæ, & æquitatis nexus dissoluerent per sordes. Nec ampliùs existimabis, impossibile esse, vt homo diuersis iuribus, in diuersas partes tractus, omnibus obtemperet; quia, vt animal, ducitur Iure naturæ; vti rationale, trahitur Iure gentium; vti sociabile, dirigitur Iure Ciuili; vti Ciuis, regitur Iure Municipali; vti mortale, instruitur Iure Diuino; perficitur Iure Euangelico; custoditur Iure Pontificio.

XXIV. Vndè accidat, vt Doctores aliquando certi non videãtur de legibus.

Mau. Absit, vt tibi non paream. adhuc remanent duo ex ijs, quæ obijciebam. Doctores nunquàm videntur certi de eorum legibus; & litigatores semper sunt dubij de eorum iure.

Luc. Doctores illi tuti non sunt de legibus, qui libros legum rarò aperiunt. nesciunt quid iura velint, qui legum verba non considerant, nec perscrutantur earum rationes. non intelligunt quid glossæ dicant, qui earum dicta non perpendunt. ignorant quid Doctores firment, qui eorum argumenta non examinant. Qui studiosi sunt, & pollent ingenio, facilè percipiunt, quando verba legum

pro-

propriè, vel impropriè, latè, vel strictè sint sumenda. optimè colligunt, quæ sit dispositionis ratio: & an sufficiat tacita, vel requiratur expressa: & an impulsiua, vel finalis sit attendenda. optimè dignoscunt, an vna lex contraria sit alteri, & quomodo conciliari debeant inter se: & optimè iudicant, quæ ex diuersis Doctorum opinionibus æqua sit, quæ communis, & recepta. & facilè discunt, quandò vel æquitas, vel rigor debeat præferri: quæ omnia, etiam tibi erunt facilia; nisi debitam studijs operam negaueris.

Mau. Non negabo, sed vt dicebat Horatius epistolarum lib. 1. epist. ad Sæuam.

Non cuiuis homini contingit adire Chorintum.

non æqualis est hominum potestas cognoscendi, & intelligendi facultas.

Luc. In omni arte, omniq. scientia datur plus, & minus: alij acquirunt scientiam sufficientem, alij mediocrem, alij eminentem. Periti in facilibus non errant: Peritiores non allucinantur in difficilibus: & in difficilioribus Peritissimi non deficiunt. Imperiti autem sunt illi, qui in facilibus dubitant, in difficilibus vacillant, & in difficilioribus obstupescunt: tametsi Doctoris nomine appellentur, habeantq. sumptuosas bibliothecas.

Mau. Non est citharœdus, quisquis tenet citharam; sed qui cithara rectè nouerit vti: at firmata Iuris dispositione, nonne difficultas fit in applicatione, vt dicebam? XXV. Cur fiat error in applicatione.

Luc. Quando factum ab vtraque parte ponitur pro constanti, tunc dicitur quæstio iuris; at quando factum controuertitur, facti quæstio est, glos. in l. eum

tiam præoculis habeant; id, quod antiqui etiam admonuerunt, fabulantes, Themin Deam esse, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas est. Alioquin quisquis sit, qui sententiam iniquam, iniustamvè extorqueat; non quiescit, adhuc pauet ne reuocetur appellationis remedio; ne rescindatur auxilio restitutionis; ne retractetur subsidio denunciationis Euangelicæ, quæ reparat ea, quæ sunt auxilio Iuris Ciuilis destituta, vt per Bart. in extrauag. ad reprimendam, in verbo, denunciationem, num. 5. ne quis scilicet indebitè rem contra conscientiam, & cum peccato retineat, contra præcepta Euangelica. Abb. in c. nouit, num. 32. & seqq. de iudic.

Man. Superest (& breuiter dicas) an lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ. XXVII.

Luc. Dicam cum D. Thoma 1 2. q. 96. art. 4. in resp. Leges positæ humanitus, sunt iustæ vel iniustæ. si sunt iustæ, habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna à qua deriuantur: dicuntur autem leges iustæ ex fine, quando scilicet ordinātur ad bonum commune: & ex actore quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis: & ex forma quando scilicet secūdùm æqualitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. cū enim vnus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum, quod est, & quod habet, est multitudinis. quælibet pars id quod est, est totius; vnde etiam natura aliquod detrimentum infert parti, vt totum saluet: & secundùm hoc leges huiusmodi onera proportionabiliter inferentes, iustæ sunt, & obligant in foro conscientiæ, & sunt leges legales. Iniustæ autem sunt

nianus in §. fin. Instit. de satisdat. dum ait, quòd omnia apertiùs, & perfectiùs quotidiano iudiciorum vsu, in ipsis rerum documentis apparent. & Quintilian. lib. 12. c. 6. hanc rem explicuit, dicens; & hercle quantumlibet secreta studia contulerint, est tamen proprius quidam fori profectus; alia lux, alia veri discriminis facies: plusque, si separes, vsus sine doctrina, quàm citrà vsum doctrina valeat. Nolo tamen, vt erres cum aliquibus nostrorum temporum scholaribus, qui prius praxim, quàm theoricam, vel saltem eodem tempore vnam, & alteram addiscere præsumunt; & postea neutram percepisse dolent.

Mau. Non istos sequar, sed illos, qui rectò student ordine: vellem, vt plura diceremus de personis; sed abijt dies.

Luc. Redibit, & dicemus.

Mau. Ibo igitur, & lætus redibo. Vale.



NONVS

tes illius vtilitatis, quam suis legibus afferre profitetur.

Luc. Conuenit, vt qui leges tulit, sit legibus solutus, l. Princeps, ff. de legibus, vt scilicet tanquàm suprà legem possit rigorem remittere, ambiguitates interpretari, & restringere quæcunque vel temporis cursu, vel vsu prauo relaxantur; non autem decet, vt latę legis ipse sit contemptor: si quidem digna vox est maiestate regnantis, se profiteri Principem legibus alligatum, dignumq. est submittere potiùs principatum legibus, quàm principatui leges, l. digna vox, C. de legib. Immò nihil tàm proprium imperij est, quàm legibus viuere, l. 3. C. de testam. Durum nimis esset, vt quis eam legem alteri imponeret, quam ipse negligeret obseruare, c. pro illorum, de præben. vt meritò Sapiens monuerit, patere legem, quam ipse tuleris, c. cum omnes, de constit.

Mau. Aquilæ reginæ auium, pullos, qui Solem nolunt intueri, damnant, & occidunt; hac, vt puto, ratione: quia vltra legem, quam illis ferunt, quòd Solis radios intueantur: eos etiam exemplo excitant, & ipsæ insimul Solis fulgorem inconniuentibus oculis aspiciunt: & vt versu dicam:

Dant Aquilæ legem pullis, vos cernite Solem,
Et dant exemplum; nos quoque conspicimus.

Luc. Honestum est dare leges auctoritate, & exemplo: & tunc Legislator existimare debet, custodiendas fore leges latas, quando illis ipse reuerentiam præbet, nec sibi licere patitur; quod alijs censuit prohibendũ, c. iustum, 9. dist.

Mau. At quis est, qui à Principe exemplum, legisve latæ obseruantiam exigat?

Luc.

legis à Diabolo, cap. ſexto die, 35. diſtinct.

Mau. Et tamen omnes, ſtatim vt promulgata eſt aliqua lex, de ea iudicant, de ea conqueruntur.

Luc. In humanis rebus vix fieri poteſt, vt quæcunque, quamuis optima ſint, omnibus placeant. qui boni ſunt, de legibus non conqueruntur: ipſi ſibimetipſis ſunt leges: & iura omnia tradita ſunt, vt boni tuti ſint à malorum iniurijs. at qui ſunt mali, ſi reſipiſcere, & ad mentis ſanitatem redire cupiunt, non eſt cur odio habeant leges, quæ non aliud curant, niſi vt corrigantur, & abſtineant à malo, & tendant ad bonum: quòd ſi obſtinati ſint, nolintq. ſalutaribus legibus acquieſcere, incidunt in pœnas, nec digni ſunt venia. Ferro neceſſe eſt vt abſcindantur vulnera, quæ fomentorum medicinam non ſenſerint, c. quia aliquanti, 82. diſt. Oportet igitur, vt ſubditi pareant, & tunc tranquillè, & pacatè viuitur, quandò legum imperio quiſque obtemperat.

Mau. Fingebat Æſchilus Poeta Græcus, Iouem ſuis legibus populi ſeruatorem, habuiſſe in vxorem Pitarchiam, ideſt Obedientiam; & ex eorum coniugio natam fuiſſe Euthargiam, ideſt Fælicitatem. Benè tetigit punctum iſte vates; quia ſi Princeps ſatagit ſuis legibus conſulere Ciuium ſaluti; & è conuersò, ſi Ciues Principis voluntati adhærere, & iuſſui conſentire non negant, oritur in Ciuitate quies quàm maxima.

Luc. Non inuenio rationem vllam, quæ poſſit populos commouere, vt Principi contradicant; tametſi nō pauci reperiantur duræ ceruicis, qui non erubeſcunt Principi obſiſtere, Superiorem prouocare, Potentiorem laceſſere, Leonemq. (vt vulgò dicitur) ſtimulare.

Mau.

Mau. Leo est symbolum Principis, qui dormiés apertis oculis indicat, gubernatoris vigilantiam; solus inter animalia clementiam in supplices exercet; solus parcit prostratis. Princeps solus parcit, & indulget. Leo, quia generosus est, & fortis, nullas pati potest iniurias; ità Princeps, quia potens, & generosus est, didicit superbos debellare; vndè monerem quemcunque hoc Disticon.

Stat clemens, fortisq. Leo: si percutis illum;
Ictu pro modico vulnera restituit.

Luc. Potentioribus nobis pares esse non possumus, l. 3. ff. de alien. Iud. mut. caus. fac. sed mittamus homines istos contentiosos, nulli rationi cedentes, & veniamus ad Scriptores, & ad librorum Censores, secundo loco enumeratos.

IV. De Scriptoribus.

Et quoad Scriptores negari non potest, quin magno hominibus fuerint adiumento celeberrimi illi Iurisconsulti, qui eorum ingenij monumenta posteris reliquerunt. Illi enim, qui suis interpretationibus, & commentarijs leges explicarunt, & protulerunt veros earum sensus; vtiquè posteritatem seruarunt ab errore. Illi, qui suis tractatibus materias vtiles, & varijs locis sparsas in vnum collegerunt, rectoq. ordine exposuerunt; vtiquè minuerunt studiosorum labores. Illi, qui suis responsis, & consilijs docuerunt qualis debeat esse litium exitus; vtiquè in similibus casibus iudicantium animos ad iustitiam direxerunt. Illi tandem, qui suis decisionibus contingentes casus definierunt; vtiquè occasioné similium litium amputarunt.

Mau. Ad hoc propositum venit mihi in mentem fabula illa de Oedipo, & Sphinge, quæ tametsi vulgata

sit,

sit, aliquid tamen noui ex ea colligo, audi. Sphinx erat monstrum apud Thebas, insidebat scopulo viæ imminenti, proponebat transeuntibus ænigmata; interficiebat vnguibus, & alis eos, qui ænigmata non dissoluebant. transiuit Oedipus, ille scilicet filius Thebanorum Regis, quem pater tradidit pastori occidendum, ex quo intellexerat ab Oraculo Apollinis futurum, vt à filio occideretur; sed pastor misericordia commotus, gladio perforauit plantas pedum pueri, & vimine transiecto suspendit ad arborem, vt inedia moreretur: at quidam pastor Corinthiorum Regis illac iter faciens, audito vagitu puerum seruauit, & donauit Reginæ suæ, quæ filijs carebat, à qua velut puer cælitus missus, filij loco est educatus, & appellatus Oedipus à pedibus vulneratis. Iste igitur Oedipus transiuit, & Sphinx ei proposuit hoc ænigma, quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes esset: respondit Oedipus, hominem esse, qui in infantia non valens incedere, repit manibus, & pedibus, velut quadrupes: maior factus, nullo egens adminiculo, solis pedibus ambulat, velut bipes, sed ingrauescente ætate, scipione indigens, tripes esse videtur. Oedipus liber exit, Sphinx verò ægrè tulit ænigmatis dissolutionem, & statim se de saxo præcipitauit. Hinc dico magnam laudem Oedipus meruit, quia soluit ænigma, & seipsum seruauit. sed multò maiorem consecutus fuit, ex quo cæteros illac transituros à duris ænigmatibus præcipitatæ Sphingis liberauit. Igitur Viri illi celebres, Qui optimè leges intellexerunt, Qui doctè in rebus dubijs consuluerũt, Qui rectè in iudicijs definierunt, digni fuerunt magno honore.

nore. At illi Qui suos labores, simul cũ ipsis nõ permiserunt mori; Qui non satis putarunt suæ ætati consuluisse; Qui studiorum suorum posteritatem etiam participem esse voluerũt, proculdubio maiore digni sunt laude, & reuerentia.

Luc. Parùm sanè est sibi soli studere; & aliquid ita præstare, vt breui tempore sit periturum.

Mau. Conuenit nè, vt quisque studiorum suorum monumenta edat?

Luc. Multa sunt, quæ pro cuiusque vsu sufficiunt, non tamen digna sunt, vt alijs commodentur, & subijciantur omnium conspectui. Dauus ille Terentianus (vt ego etiam aliquid ex relata fabula colligam) aiebat, Dauus sum non Oedipus, actu 1. scena 2. in Andria. significare volens, nõ omnes ad obscuriora intelligenda, & clarè explicanda idoneos esse. Oedipus in arborem, in altum fuit eleuatus, & perforatis pedibus, non nisi cunctanter potuit incedere; ideò homines illi, qui nunquam in altum se eleuarunt, quiquè mediocri ingenio non nisi vulgaria quædam, & parum consideratè, & tumultuario congesserunt, non est, cur illa edant; non est, cur Oediporum laudes emulentur.

Mau. In scribendo multa nè sunt attendenda?

V. *Luc.* Duo, quid scilicet docendum sit, & quomodo. primum respicit inuentionem, alterum dispositionẽ.

Scribentes, quæ obseruare, & vitare debeant.

Mau. At hæc duo multò plura fortasse continent?

Luc. Primum aliud non continet, quàm vt vera, & vtilia doceantur, omittantur quæque vulgaria sunt, & insipida: & ea præcipuè tractentur, quæ ad rem pertinent, vel saltèm cohærent rei, de qua agitur:

quæ-

quæcunque autem extranea ſunt; non pro cibis, ſed pro condimentis; non ad ſatietatem, ſed ad gratiam apponantur. Studium ſanè deteſtandum eſſet, quando falſa, vel erronea docerentur. Inutilisq. & permoleſtus eſſet labor, ſi ab alijs ſcripta reſcriberentur; vel ſi indubitata traderentur. At indiſcreta res eſſet, vbi cumularentur, & miſcerentur plura extranea, quæ maiorem operis partem vendicarent, præcipuamq. materiam longè excederent.

Man. Perindè eſſet, ac ſi ab extraneis occupata maiori parte domus, iaceret præcipuus Herus in angulo. Sed alterum in quo conſiſtit?

Luc. In duobus, in ordine ſcilicet, & elocutione. Ad ordinem pertinet, vt omnia ſuo loco collocentur, non præmittantur, quæ poſtponenda ſunt: nec reijciantur in finem, quæ ante omnia debent explicari. Ità diſtinguendæ ſunt materiæ, congruisq. locis; & ſedibus diſponendæ; vt vna ad alterius intelligentiam conducat: ne aliàs, rebus confuſis, & indiſtinctis, vnumquodque prorſus ignoraretur.

Man. Sententiam probo; quia non eſt ponendus currus ante boues; nec debet confundi acetum cum vino, milium cum fabis, vetia cum leguminibus: & dolia quæ collocanda ſunt in cella vinaria, indecorum eſſet transferre in cubiculum. Sed ad elocutionem quid pertinet?

Luc. Vt vnaquæque res congruo ſermone explicetur. Feruntur leges, vt ab omnibus obſeruentur; ergò tali concipiendæ ſunt dicendi genere, quo ab omnibus intelligantur. Eduntur libri, vt Lectores diſcant; ergò quæ docentur, exprimi debent claro, &

vsitato sermone, vt sciri possint: itaut nihil obscurum, nihilq. ambiguum remaneat. in lege nihil magis desideratur, quàm claritas, l. leges sacratissimæ, C. de legibus, c. fin. de constit.

Mau. Doctores legum acriter reprehenduntur, quòd ineruditè, & barbarè locuti sint; omissa prorsus ea dicendi elegantia, qua responsa prudentum concepta sunt, & qua etiam editæ fuerunt Constitutiones Imperatorum.

Luc. Eadem Iura eisdem temporibus, quibus emanarunt, clara erant, & vsitato sermone prolata; at nostris temporibus propter linguarum varietates, & mutationes idiomatum, difficilia reddita sunt, & obscura. Non est igitur reprehensioni locus, dum agitur cum hominibus istius temporis, quorum maior pars non olfecit illius elocutionis suauitatem, eo tempore vsitatam, & minimè affectatam: dumq. antiqui sermonis difficultas soluitur, & explicatur claro, & vsitato sermone. Antiquis etiam temporibus præcipiebant Sapientiores, vt quisque viueret moribus præteritis, & loqueretur verbis præsentibus, vt ait Aul.Gell.lib.1. noct.actic. c.10. Et in libro Edictorum Iustiniani, & Constitutionum Iustini Tiberij, & Leonis Augustorum, legitur in Constit.77. de falsariorum pœna, Leonem Imperatorem scribentem ad Stilianum, dixisse in hæc verba. Non arcana quædam sanctiones legis sunt, vt à multitudinis intellectu remotæ esse debeat; sed potiùs, si fieri posset, neminem illas latere, neque virum, neque puerum, neque mulierem oportebat: quippè quod id ad hominũ mores in melius cõuertendos, cõmunisq. vitæ vtilitates, vel maximè cõduceret.

Mau.

Mau. In hanc quoque opinionem descendo, considerans, quòd si mihi noctè ambulanti, quis accensa face obuiam veniret; & statim atque pollicitus esset, me adducere quò tendebam, lumen extingueret, ei non parum succenserem : quòd eisdem tenebris cœcus cœcũ ducere vellet; vt ipse non viderẽ, quid ille mihi ostenderet; simulq. quod mihi demonstraret, ipse ignoraret.

Luc. In verbis doctrina non consistit, sed verbis traditur : ignotum autem non docetur per æquè ignotũ, minùsq. per ignotius ; & paria sunt nihil respondere, & respondere obscurè; nihil interest neget quis an taceat interrogatus; an obscurè respondeat, vt incertum dimittat interrogatorem, l. de ætate, §. nihil, ff. de interrogat. act.

Mau. Non desunt qui putant, obscuriore stylo tractandas esse scientias, & artes; ne eas passim omnes assequantur.

Luc. Manifestum inditium esset animi inuidi, & proditoris; si data opera, is qui docere profiteretur, rem difficiliorem redderet; & discendi cupidos magis deterreret, & à studio repelleret.

Mau. Omni sanè reprehensionis genere arguendus, & increpandus esset is, qui inuitatis amicis ad cœnã, apponeret studiosè crudas, vel semicoctas carnes; ne discumbentes manducare possent; vel saltem ne comederent sine difficultate, & molestia.

Luc. Omnia tractanda sunt ex fide; & in omnibus querenda est Discipulorũ vtilitas; & in cuiusuis artis facultate tradenda, non difficultas, non obscuritas, sed claritas, & facilitas requiritur, vt animi dociles citò percipiant, & percepta conseruent.

Mau. Adhæreo: & dicaces illi, illi operum omnium derisores, qui secus sentiunt; hauriant sua sponte turbidas aquas; voluant se in horroribus noctis; nihil ad illos claritas, nihil lux ipsa pertineat.

Luc. Etsi autem clarum, & vsitatum dicendi genus in legibus tradendis, & explicandis, adhibendum sit; non tamen quilibet sermo sordidus, & demissus admitti debet: nam obscura quæque possunt explicari stylo facili, & polito: à rudi autem, & iniucundo debet quisque abstinere. Et quia legum scientia eminet inter alias; non nisi pro dignitate, non nisi rectò eloquio doceri, & tractari debet.

Mau. Si rudi, & barbaro sermone leges traderentur, & explicarentur, perindè esset; ac si lauti, pretiosiq. cibi in vasis cœno conspurcatis, præpararentur, & mox in alijs luto commaculatis apponerentur. sed aliud quæro, an scilicet sint aliqui abusus in scribendo.

Luc. Tres sese offerunt. Vnus est eorum, qui ab alijs inuenta, vel alio loco tractata transcribunt; & quasi ex agris alienis omniũ herbarum fasciculum faciunt, & in horreum proprium congerunt, & absque ingenio in lucem proferunt. Alter est illorum, qui quodcunque efficiunt proprio ingenio, pulchrum existimant, & sibi nimiũ cõplacentes, & philautia decepti, vllo absque consilio edere volunt: cùm tamen quodlibet opus lucernam prius olere, prius peritorum approbationẽ deberet expectare, antequam prodiret. Postremus est aliorum, qui in titulis, & inscriptionibus librorum, ingentia pollicentur; in libro autem, aut nihil præstãt, aut parum, quod vel vtile sit, vel ingeniosum, vel quod ad rem promissam attineat.

Mau.

Mau. Contra Transcribentem quæ ab alijs inuenta, & scripta sunt dicerẽ quod de Formica,quę vtiliter grana colligit pro se; sed inutiliter ea colligeret pro alijs animalibus,quæ alibi per se maiorẽ copiá possunt habere.

Est prudens Formica, sibi quæ grana reponit:
Imprudens, quæ alijs pabula ferre putat.

Et contrà præcipitãtes editionem operis parũ elimati, dicerẽ prout de Cane,quæ festinãs cęcos parit catulos.

Expectare Canis non vult, vult edere partum:
Ede Canis? quid tum? cæcus erit catulus.

De illis autem, qui nihil exhibuerũt dignum promissis, dicerem vt de Fulica, quæ tanquàm paritura sit totum mundum,parturiens parum plumæ, & parum quid insipidæ carnis vociferatur.

Parturiens Fulica ingentes, dat stridula voces:
Plumosus pullus nascitur exiguus.

At quoniam satis intelligo, ea, quæ eduntur ingenio inuenta, ordine disposita, facilè explicata, studio elaborata, consilio approbata, digna esse, quæ ab omnibus excipiantur summo cum honore, summaq. cũ laude, & reuerentia; nunc deueniendo ad Censores, dic quæso, vndè sit, vt plures de libris etiam benè dispositis, & cunctanter editis, malè iudicent? VI. De Censoribus librorũ.

Luc. Triplex istorum hominum genus constituo: vt alij sint indocti, alij docti, medij verò sint quasi semidocti. De indoctis, & imperitis curandum non est, dicant quod lubet, neminem afficiunt; non iudicat cæcus de colore; laus prouenit à laudato viro; sine dentibus quis non mordet.

Mau. Dicam ergò de istis, quod de Muscarum vellicationibus.

Nemo est, qui pereat, quamuis volet vndique, morsu
Et cunctos tangat, paruula Musca, suo.

Sed non ità dicemus de doctis.

Luc. Ex doctis plerique sunt, qui plus sapere, plus castigare volunt, quàm par sit. Perlecto aliquo libro, si plura subtilia, & ingeniosa videant, parui faciunt: si quid erratum sit, carpere nunquam desinunt.

Mau. Dicam de istis, vt de Sue, qui spretis floribus se inuoluit etiam paruo luto.

Cultum percurrens, omissis floribus, agrum;
Sistit, cœnosam, Sus vbi tangit aquam.

Veniamus ad semidoctos.

Luc. Ex istis multi sunt, qui ne videantur nihil scire; sed vt irrepant in aliquam vulgi opinionem, vt in admirationem amicorum se intrudant; semper se offerunt pugnaturos cum egregio hoste; semper aliena virtute sibi laudem comparare contendunt. Isti igitur, vt librum aliquem, nuper editum, legunt, modò vnum mordent, modò aliud: sistunt in vno, quasi id meliùs ipsi fuissent dicturi: sistunt in alio, quasi id alibi meliùs dictum perlegissent: & cum ipsi nihil inuenire, aut in lucem proferre valeant, alienis laboribus insidiantur.

Mau. Sunt velut rustici Canes, ad venatum inepti, qui post venatores, post venaticos Canes, vt ipsi etiam videantur aliquid posse, baubari nunquam desistunt; & vt Carmine explicem.

Infecto naso, nullis venatibus aptus
Latrat, vel mordet, rusticus ille Canis.

Sed dic quæso, si possint aliquo ingenio euitari istorum criticorum dicacitates?

Luc.

Luc. Mos inoleuit dedicandi libros viris celeberrimis, quorum auctoritatem, & maiestatem censores timeant; haud tamen sufficit, præsertim vbi sit, quod morderi possit. Opinor ego veteres illos non alia ratione, inter suos Deos posuisse Momum contemplantem opera aliorum Deorum, & carpentem quidquid ab eis fuisset omissum, vel perperam factum, nisi quia sciebant, neminem fore, qui iudicialium, & nasutorum censuras possit euitare. Dedicant Scriptores editos libros viris virtute, & dignitate præstantissimis, vt eorum sint velut Dij tutelares; sed res non succedit ex voto: oppugnabantur etiam antiquitus Vrbes illæ, quæ Deos tutelares habebant; idq. oppugnatores agere didicerunt absque Deorum contemptu: eos enim (vt fertur) euocabant certis carminibus, & rogabant, vt foras exirent; ne cum illis bellum susceptum videretur.

Mau. Si dicturus sim quid sentiam; non omninò inutile est id hominum genus; & aliquandò necessarium videtur, vt sint, qui ambitiosorum arrogantiam deprimant, & auertant. Sed in causa propria, de Lectoribus, & Scholaribus, tertio loco propositis, quid dicemus?

VII. De Lectoribus, seu publicis legum professoribus.

Luc. Nihil quod veritati, & honestati non conueniat. Quantam vniuersitatibus vtilitatem afferant legum professores; quantam præcipuis Vrbibus gloriam addant legum Interpretes, testis sit Iustinianus Imperator, qui eorum Cathedras constituit in solis Vrbibus regijs, in quibus voluit Iura tradi, & non in alijs locis, quæ à maioribus tale priuilegium non meruerunt, §. hæc autem tria, in procem. Digestorum. Testes

ſint noſtrorum temporum Principes, Duces, Reges; qui maximam ſemper adhibuerunt diligentiam in erigendis, conſeruandis, augendisq. publicis Gymnaſijs: maximamq. exercuerunt liberalitatem in conducendis viris celeberrimis ſummo cum honore, & emolumento.

Man. Sunt tamen, qui putant hodiè in tanta librorum copia ſuperuacaneum eſſe laborem iſtorum legum Interpretum.

Luc. De quauis re ſemper aliud iudicat imperitus oculus, & aliud artificis regula. Dum rudes ſumus, non ſufficiunt libri; non habemus à natura ſcientiã, ſed ſolam aptitudinem ad ſciendum. Non habent agri inſita frugum ſemina, ſed ſolam diſpoſitionem ad fruges producendas. Non ſufficiunt ſola vaſa ſeminibus plena, ſed opus eſt Agricola, qui ex ſuis vaſculis eam ſeminis portionem ſumat, quæ conueniat agro, quem priùs diligenter excoluerit. Non igitur ſufficiunt tradita in libris: ſed opus eſt Præceptore, qui ſtudio, & diligentia ex libris tantum ſumat, quantum neceſſarium ſit diſcere volenti. Nulla doctrina poteſt haberi ſine Præceptore. Et niſi prius voce magiſtra didicerimus, impoſſibile eſt, vt libros intelligere valeamus. Quando verò eruditiores facti ſumus, proſunt quidem libri ſine Præceptore: ſed non ità, vt lectionem præferre debeamus auſcultationi. Quinimmò Sapientiores omnes conſuluerunt, meliùs eſſe auſcultare, quàm legere; vbi Præceptoris ſit copia; tametſi mediocri ſit eruditione: Acriora ſunt, quæ leguntur; ſed altiùs in animo ſedent, hærentq. tenaciùs, & promptiùs occurrunt, quæ pronunciatio,

vul-

vultus, gestusq. dicentis affigit. Continent libri plura, & eruditiora, & quasi Præceptores indefessi, nunquam grauantur suam nobis operá impertire: ita, vt quod ingenij celeritate nequimus, laboris assiduitate consequamur. Possumus in libris singula pressiùs inspicere, retractare, & expendere. At quoniam sunt muti magistri, non respondent nobis dubitantibus, & nulla facta virium nostrarum exploratione, plura tradunt, eaq. difficiliora. vndè facilè eueniret, vt dubitationibus confusi, & rerum copia perterriti, omni procul Præceptoris auxilio, deficeremus.

Mau. Hunc defectum librorum non videntur Doctores supplere in Scholis; quippè qui solent quasdam quæstiones ferè inutiles ad partes disputare, & totum tempus conterere in reijciendis aliorum opinionibus, & nouis struendis, & firmandis.

Luc. Omnia Iura clamant, maiorum mores iunioribus sacrosanctos esse debere; maiorum moribus viuendum: fidelissimæ vetustatis mores retinendos. Vetustissimus est mos disputandi in Scholis, & confutandi communes opiniones, excogitandiq. singulares; hoc more seruato maiores nostri didicerũt, profecerunt, excelluerunt. Non est igitur contradictioni, reprehensionivè locus. Non consumitur tempus in Scholis, dùm Lectores in confirmanda vna, & reprobanda alia opinione vtuntur lege, ratione, & auctoritate. Non perdunt operam Scholares in publicis Gymnasijs, dùm attentè audientes Lectorem disputantem, notant modum soluendi contraria, ponderant sensus legum, eoq. duce limitant regulas, & excitato ingenio limitationes ponderant, considerant distin-

distinctiones, declarationes examinant. Non aliò consistit hæc legum professio; non aliò versantur Doctores, quàm in intelligentia legum, & earum applicatione ad contingentes casus, & in responsione ad opposita, & in dijudicando, conciliandoq. opiniones. Ductores militum non sat habent, si tympani sonitu milites euocauerint, si milites stipendio conuento arma sumpserint; sed insuper eos ficta quadam pugna, quotidiè conantur exercere. Inutilis fortè aliquibus videtur illud fictum præliolum, quo hostis non capitur, nec expugnantur arces; sed vtile est exercitium, vt ad militiam vnusquisque assuescat. Nihil sanè, aut parùm prodesset Scholari, percurrisse libros Institutionum, Digestorum, Codicis, & alios, nisi publici Lectores eorum animos, & ingenia primis elementis, quasi armis assumptis, ad disputationem deindè excitarent, & acuerent: eueniret enim, vt si in contradictionem aliquam, in aliquamve contrarietatem inciderent, siuè in Scholis, siuè in Iudicijs, quasi improuiso hoste inuasi, caderent, & metu deiecti nunquàm exurgerent.

Mau. Sic fabulantur de Vulpe, quæ vt vidit Leonem, quasi metu cecidit; sed vt secundò conspexit, non multum timuit; tertiò autem, omni timore postposito, accessit, & animosè Leonem allocuta fuit. Sed si res ità se habet, vndè euenit, vt ex multis, qui ad Gymnasia conueniunt, pauci discant, & pauciores excellant.

VIII. De Scholaribus. *Luc.* Non æquè dispositi sumus, & apti omnes ad quodlibet studium, ad quamlibet scientiam, vel artem. Agri, etsi eiusdem sint naturæ, & continentis soli,

soli, non apti sunt omnes ad eosdem fructus producendos; proferunt sæpè diuersos quantitate, vel substantia. Sunt igitur aliqui, qui exploratis proprij ingenij viribus, vel recedunt, vel perdunt operam genio refragante. Sunt alij, qui se ita incautè gerunt, vt cum iactura temporis, cum honoris detrimento in Sirenum scopulos incidant.

Mau. Viperarum exemplo isti discere deberent: nam in coëundo (vt aiunt naturales) mas caput in os fœminæ immittit, eoq. dentibus confracto, statim perit; & ideò hæc Disticon monebo condiscipulos meos.

Mas coit, & moritur, rabida dulcedine tacta,
Dum caput oblatum, Vipera dente ferit.

Non tamen omnes incidunt in istos laqueos.

Luc. Verum dicis. At alij sunt, qui vel ludo, vel crapula consumunt tempus, libros, vestes, & tandem semetipsos.

Mau. Quos nouero hisce rebus propensos, monebo exemplo Muris.

Mus rodit vestes, libros, semperq. ligurit,
Ad mortem breuius, sic sibi pandit iter.

Quid modò dicemus de illis, qui patriam repetunt laureati?

Luc. Illi, quos à labore ociosus lectulus non prohibuit, non deterruit frigus, æstus non auertit: illi inquàm, quos à studijs voluptates non abduxerunt, non seiunxerunt à libris, non remouerunt ab Academijs, & vtilibus exercitationibus, suscepta corona, læto animo reuertuntur; reuersi recipiuntur hilari Conciuium vultu; illisq. offeruntur munera, & parantur honores in Republica. At qui recedunt ignari, per-

petuò

petuò silent, & quæcunque audent, ineptè agunt non sinè risu, & contemptu. Iacent quasi inutilia, & mortua Reipublicæ membra.

Mau. Istos assimilarem Simiæ, quæ si quid agere tentat, excitat risum, & perperam agit. Habet nihil in se, quod valeat, pellis, caro, ossa, nullius sunt vsus. Hoc dicam versu.

Nascitur ad risum, stat Simia rebus inepta;
Pellis eius, carnes, & nihil ossa valent.

Occurrunt quarto loco Iudices, & Notarij.

IX. De Iudicibus.

Luc. Iudicium necessarium est inter homines, vt exorientes controuersiæ, Iure, non iniuriâ dirimantur; sed quasi æquitatis, & iustitiæ libra, dignoscatur quid præualeat; an ius actoris, vel rei; an actio, vel exceptio; explorata tamen priùs, quasi ad indicem, facti veritate; discussa scilicet instrumentorum fide, discussis testium dictis. Duo itaque præcipua requiruntur in Iudice, Scientia, & Integritas. Sola virtute, non fautoribus ad munus iudicãdi quisque debet promoueri. Olim apud Romanos, qui magistratum erant petituri, induebant togam candidam, vt colore tàm puro, & minimè inquinato sincerum affectum in petendo ostenderent, & animi candorem in gerendo officio se omninò seruaturos pollicerentur.

Mau. Quid agitur nostris temporibus.

Luc. Deferuntur hæc munera per electiones, vel Vniuersitatum, vel Principum, & non nisi priùs eorum, qui proponuntur, qualitatibus cognitis, & examinatis.

Mau. Sed quid, si aliquis promissam fidem, & integritatem non præstet?

Luc.

Luc. Recipit digna factis.

Mau. Si quis verò ſolo emolumento contentus, oneri cedat, quid euenit?

Luc. Aufertur vtrumque, munus, & onus; cùm vnum ſit propter aliud.

Mau. Addo iucundam rationem. Iudices eliguntur: electio, vt plurimum, fit per fabas; ergo is, qui eligitur quodammodo fabas comedit. At quoniam fabæ ſunt ventoſæ, & ſtomaco moleſtiam afferunt, ſequitur, vt qui ad iudicandi munus eligi voluit, paratus etiam ſit officij ſuſcepti incommoda ſuſtinere: audi verſus.

Quiſque fabas auidus comedit, ſed cogitur inde,
Inflati ventris tormina quiſque pati.

Luc. Aut nulli ſunt, aut pauci, qui laborem iudicandi recuſent. Audiuntur quidem multi conquerentes de Iudicibus, quòd cauſas non expediant; ſed audiuntur etiam plures lamentantes, quòd ſententiæ fuerunt præcipitatæ, & proceſſum fuit nimia cum feſtinatione: ſi damnoſa eſt cunctatio, periculoſa eſt celeritas; in definitione ergò maturitas; in executione verò facilitas exigitur. Iuuat tamen aliquandò, rem potius in longum proferre, quàm cum aliquo periculo explicare. Legitur, quòd cum inter Calidonios, & Eleos quædam lis eſſet, vtrique detulerunt rem ad arbitrium Bunæ Athenienſis; & conuenerunt, vt à manibus temperarent, donec ille de negocio pronunciaſſet: quod vbi ſenſiſſet Bunas, de induſtria audiebat quidem vtramque partem; cæterùm per fictas occaſiones rem in longum diſtulit, nec vnquam de lite voluit pronunciare. Profuit hæc mora, qua durante impeditus remanſit furor armorum; ſed hoc fieri

fieri poteſt, vel ab Arbitro, vel à Principe abſoluto: cæteri autem Iudices hoc tantùm curare debent, vt rectè proprio fungantur officio.

X. Iudex an poſſit eſſe illiteratus.

Mau. Circumferuntur quædam de Iudicibus axiomata, quæ prædictis parum videntur conuenire. Vnum eſt, quòd Iudex poteſt eſſe illiteratus. Alterum, quòd nequit iudicare ſecundùm propriam conſcientiam. Tertium, quòd non poteſt inducere partes ad concordiam. Poſtremùm, quòd poteſt gratificari amico.

Luc. Laborem, quem tui cauſa ſuſcepi, & ſuſtinui, non debeo ſuprema die ægre ferre; hoſce etiam ſcrupulos libenter tollam.

Ad primùm non debet dari Iudex, qui per ſe non poteſt cognoſcere, quid iuſtum ſit, & qui neceſſe habet aliundè emendicare iudicandi honeſtatem; & ab alijs diſcere, quid eum deceat eloqui iudicando. Officium autem, & adminiſtratio habens inter alias curas annexum onus iudicandi, committi, & dari poteſt etiam non habenti legum peritiam; quippè qui eam iudicandi partem, per alium poterit explicare: exempli gratia, Adminiſtratores Principis, Præſides Prouinciarum, Gubernatores Ciuitatum, etiam ſi legum ſcientia careant, tamen vti detenti alijs curis, iudiciorum complent partem per ſuos Conſiliarios, Aſſeſſores, ſeu Locatenentes, explicantes ea, quæ legum ſunt, Auth. de Iudicibus &c. in princ. collat. 6. ſic etiam Magiſtris militum conceſſa eſt iudicandi facultas, vt de eis, quorum peritiam habent per vſum quotidianum, iudicent; altercationibus autem illis, quæ eorum peritiam excedunt, mediantibus Conſiliarijs, & Peritis finem imponant, l. certi iuris, C. de iudic.

Iudic. ſic etiam partes compromittunt quandoque in amicum illitteratum, ea tamen conditione, vt quæſtionem finiat conſilio Sapientis. Vnde nunquàm datur caſus, quòd imperitus ex ſe imperitè debeat iudicare, & ſtatuere, quid Iuris: cauſæ enim tractandæ ſunt per eos Iudices, qui Canonum, Legumve ſtatuta non ignorant, c. 1. de conſanguin. & affinit.

Mau. Monſtruoſa, ac penè ridicula res eſſet, quòd Iuris imperitus vellet de iure reſpondere, & iudicare: & ſi quem viderem hac ſimilitudine deriderem.

Eſt riſu dignum, citharam ſi pulſat Aſellus,
Vult animos grato, qui refouere, ſono.

Veniamus ad ſecundùm.

XI. Iudex an poſſit ſequi propriam conſcientiam.

Luc. Iudex eſt perſona publica, non priuata; publicam ergò ſequi debet conſcientiam, non priuatam. Ex publicis actis publica ſcientia, ex priuatis ſuggeſtionibus priuata naſcitur. Ideòq. bonus Iudex ex proprio arbitrio, & voluntate nihil agit; ſed opinionem ſuam concipit, & confirmat, iuxta legum diſpoſitionem: obtemperat Iuri, non propriæ voluntati: iudicat ſicut audit, decernit ſicut ſe habet natura negocij, non aduerſatur legibus, examinat cauſæ merita, eaq. non mutat; c. iudicet. 3. q. 7. & vt dicitur in c. ſummoperè 11.q.3. exercentes publica iudicia non ex eorum corde, ſed ſecundùm quòd probatum eſt, ſententiam debent proferre. Damnabilis ſanè videretur Iudex velut prodigus ſuæ famæ, & proprij perſecutor honoris, ſi contrà ſcientiam, reſultantem ex actis, & contrà iuſtitiam probantis, auderet pronunciare, & ſe excuſare ratione priuatæ conſcientiæ. Quinimmo non alia de cauſa præſumeretur iudicium

ſuum

suum disposuisse, nisi vel per gratiam, vel per sordes.

Mau. Ego etiam excandescerem contra huiusmodi Iudicem, & metro exprobrarem.

Publica libra datur, qua possim pondus habere
Iustum; tu sensu vis numerare tuo?

Sæpe errat quisquis ducitur solo animi sui motu,& non rarò vnum sumit pro alio, æquiuocat sæpius.

XIII. Iudex non debet affectu moueri.

Luc. Ratione,Lege,& Probatis quisque Iudex moueri debet, non propria Conscientia,minusq. proprio Affectu: & boni Iudices odio habent multiloquia, & quæcunque possunt affectum mouere fugiunt, & præcauent, exemplo Areopagitarum, quorum iudicium exquisitissimum Athenis habebatur. Illi, vt refert Quintilianus lib.6. prohibuerunt Oratoribus,mouere affectus, quibus Iudicum animi à veritatis luce sæpenumero abducuntur: & dum aliquis audiebatur rem exagerare ad conciliandos eorum animos,statim prodibat præco, qui eum tacere iubebat; nec vltra sinebat eum verba fundere;nec rem de qua agebatur verborum in volucris implicare: volebant enim facta nuda, & aperta cernere, & intelligere; & noctu, & in tenebris solebant iudicare,ne ad dicentes respicere possent, sed ad ea quæ dicebantur; vt etiam refert Budeus in annot. ad pandectas fol. 90.

XIII. Muneribus Iudex trahi non debet.

Similiter boni Iudices munera contemnunt, & respuunt exemplo Balaam, qui vt legitur Num. c. 22. ad nuncios missos per Balac respondit. Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus, vel minus loquar: Et Gentiles benè cognoue-

runt

runt, dulce esse accipere, sed periculosum: dictitabant enim, munera hanc vim habere, vt Deos etiam flecterent. Animaduertendum est etiam, quòd aliquando veniunt dona ab aliquo, tanquàm ab hoste, quæ solent esse inauspicata, & noxia. Legitur apud Homerum, Iliados lib. 7. de Hectore, & Aiace, quòd dona inter se, amici facti, permutarunt; Hector donauit Aiaci gladium, Aiax Hectori dedit balteum. Aiax victus ab Vlisse, eodem gladio dono recepto, sibi vitam ademit. Hector per occasionem baltei occisus est ab Achille iuxta muros Troianos. At vbi non sint noxia, sunt tamen permolesta munera Litigatorum, qui petitores sunt, non donatores.

XIV. Non debet Iudex admittere quamlibet in suam familiaritatem.

Alterum etiam præcauent boni Iudices, vt integritatem seruent, omnemq. suspicionem tollant. Non admittunt quemlibet in familiaritatem, sed deligunt, quem diligant. Non desunt qui siuè Iudicum, siuè etiam Principum se familiares, immo patronos profitentur, & gratiarum venditores sese offerunt, & exponunt cuilibet de populo: coram Domino autem se obsequentes, humiles, & zelantes præbent, & dissimulant. Zoticus, vt narrat Helius Lampridius in vita Æliogabali, familiaritate Imperatoris abutens omnia Æliogabali dicta, & facta vendebat; & fumis quàm maximis diuitias enormes sperans, cùm alijs polliceretur, omnes fallebat; & quando exibat modò alloquebatur vnum, modò alterum. vni dicebat de te hoc locutus sum; alteri de te hoc audiui; alteri verò hoc de te futurum est. Aliud autẽ tristius exemplum refert idem auctor in vita Alexandri Seueri, nempè de Vetronio Turino eiusdem Alexandri familiari,

militari, qui omnibus persuaserat, quòd ad nutum suum omnia Imperator faceret: à nemine non petebat, accipiebat ab vtraque parte. Detecto crimine, eoq. probato, Imperator præcipit eum ligari, & fumo apposito, quem è stipulis, & lignis humidis fieri iusserat, necauit, præcone dicente, fumo punitur, qui vendidit fumum.

Mau. Audi Carmen de Psittaco satis conueniens in huiusmodi ostentatores.

Psittacus antè fores loquitur, non Regis ad aures;
Et verbis homines detinet ipse, leues.

XV. Iudex cum consilio, & maturitate debet procedere.

Luc. Boni igitur Iudices, iustitiæ cultores, obseruatores legum, affectuum expulsores, contemptores munerum, simulantium hostes, non intelligunt vnquàm stateram iustitiæ transgredi, nec quidquam facere præter ius, & æquum. Ideòq. videre volunt acta, iura, & testes; nec sat habent relata auribus audire: optimè scientes, quòd minus fideles hominibus sunt aures, quàm oculi. Si audiunt partes, eas patienter ferunt, cum ingenio tamen, ne contemptibiles esse videantur, vt admonet text. in l. nec quicquam, §. vbi decretum, ff. de off. Proconsulis, & Legati: & vbi causa cognita, discussisq. causarum meritis sententiam ferunt, omnem iustæ querimoniæ causam adimunt, & occasionem.

Mau. Habeo promptam similitudinem de Boue.

Bos qui non currit, sed quærit cautius ire,
Non se, non quemquam, nec pede lædit humum.

XVI. Iudex an cogere possit partes ad concordiam.

Sed ad tertium cur non debent Iudices cogere partes ad concordiam?

Luc. Necessarium est iudicandi munus, l. fin. §. iudicandi,

candi, ff. de mun. & honor. quod igitur ad eorum officium pertinet, non conuenit, vt ad alios concordandum, finiendumq. remittant, etiam si causa difficilior videretur.

Mau. Equi residis vitium est insessorem excutere, quò descendat ob itineris difficultatē; cùm alioquin Equi generosi per montes, & flumina feliciter perducant quodcunque in se assumpserunt, & vt versu explicem;

Fortis Equus montes, valles, & flumina transit,
At quodcumque timet segnis, & odit iter.

Luc. In rebus quidem arduis Iudex potest suadere concordiam, non autem imperare, Fel. in rubr. de treuga, & pace, quæ si fieri nequeat, non debet Iudex esse clementior lege, §. oportet autem, Auth. de Iudicibus.

Ad quartum verò, quòd Iudex possit amico gratificari, res non ita plana est. Necessitatem quidem habet amicitia, vt præ cæteris amicum diligamus, & amici commodo consulamus: necessarij enim latinè dicuntur amici, & amicitia dicitur necessitudo: non tamen fas est propter hominem amicum ab honesto iustovè deflectere. refert Aul. Gell. lib. 1. noct. attic. c. 3. quòd Pericles Atheniensis rogatus, vt in causa amici amicitiæ gratia deieraret, respōdit, amicus sum vsquè ad aras; olim enim iurantes aram manu tangebant. Scriptum est Deuter. c. 8. Dixi Principibus, & Iudicibus, quod iustum est iudicate, siuè peregrinus sit, siuè Ciuis, nulla erit distantia: ità paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusque personam. Dicunt quidam, licere Iudici in dubijs gratificari amico, & vt aliquis casus accidit dubius, so- XVII. Iudex an possit gratificari Amico.

lent dicere, esse quæstionem pro amico, & bonum esse, habere Iudicem fauorabilem. Sed hæc opinio minimè vera est; nam nulla sunt Iura, quæ hoc dicant. Benè lex scripta est, quòd in Iudicijs non debet esse acceptio personarum, c. in Iudicijs, de reg. iur. in 6. immo quid in dubijs statuendum sit, iura dicunt, nempè in dubio iudicandum esse pro Reo, c. cum sunt partium, eod. tit. de reg. iur. in 6. & in ambiguis iudicandum esse pro dote, l. in ambiguis, ff. de iure dotium, & sic de alijs. Nulla autem lex dicit, in dubio fauendum esse amico.

Mau. Ergò laudandi erunt quidam homines, qui vt ad magistratum, dignitatemvè peruenerunt, prioris status obliti, amicis se abscondunt; delent omne amicitiæ signum, velut histriones, qui dum Regē agunt in scena, cæteros alioquin amicos, & pares contemnunt, habent pro ignotis, tanquàm si fabula exitum nunquàm foret habitura.

Luc. Laudandi sunt Iudices, qui ità agunt, ne amicitiæ causa violetur æquitas, & iustitia; non tamen studiosè contra amicum debent iudicare; minùsq. eum fugere, quò maiorem integritatem ostentent: sed ità sententiam ferre debent, prout credunt de Iure esse iudicandum, non habita aliqua ratione amicitiæ, odij, vel timoris. Sat dictum est de Iudicibus.

XVIII. De Notarijs. Dicamus pauca de Notarijs, qui an vtiles sint, & necessarij in Republica, nemo dubitat. Exigit publica necessitas vt sint, qui acta iudiciorum conscribant, c. quoniam contra, de probat. & Contractuum, vltimarumq. voluntatum Instrumenta conficiant.

Mau.

Mau. Appellantur Notarij serui publici; nec desunt, qui eos dicunt viles, & abiectos, & asserunt totum mundum eorum imperitia subuerti. Et (vt aiunt) in eorum Instrumentis, vel necessaria omittunt, vel apponunt superflua, & clausulas repugnantes, terminos incongruos, & verba intricata inculcant, ferè nescientes quid loquantur; cum Doctores non sint, nec legum periti; adeò vt notandi videantur exemplo Picæ.

Garrula Pica loqui, si quodam didicit vsu;
Nescit quæque suo dixerit eloquio.

Luc. Notarius dicitur seruus publicus, l. non aliter enim, ff. de adopt. l. 2. ff. rem pup. saluam fore: non quòd sit seruus: nam lege cautum est, seruum Tabellionem esse non posse, l. generali, C. de tabularijs, lib. 10. Sed quia est persona publica, §. cum autem, Instit. de adopt. Non potest tamen censeri vilis, & abiectus; quia creatur à Principe, vel priuilegio Principis, vt not. Doct. in c. cum P. de fid. Instrum. & in l. infamem, ff. de publi. Iudi. Immò creatur cum aliquali iurisdictione, saltem habitu, & dicitur Iudex cartularius, glos. in l. 1. in verbo, tribunal. & ibi Doct. ff. de Iudic. Quòd autem Notarius sit Doctor legum, vel accuratè sciat Iura, minimè necesse est; sufficit enim, quòd sciat ea, quæ in summis, & formularijs traduntur, pertinentia ad artem Notariatus, Bart. in d. l. generali, num. 7. C. de Tabular. lib. 10. Satis est, vt quilibet sciat spectantia ad suum officium, nec aliàs tenetur de imperitia, l. illicitas, §. sicuti, ff. de offic. Præsidis: & in dubio quilibet Notarius præsumitur peritus, Imol. in l. 1. §. si ex fundo, ff. de hæred. instit. &

sacrilegij instar est, dubitare, an sit idoneus is, quem Princeps elegerit, l. disputare, C. de crim. sacrileg. exemplum itaque quod afferebas de Pica, atque etiam alia exempla posita per Doctores de Psitacis, & Gallis, & de Cantoribus benè cantãtibus, sine tamen vlla ratione, referenda sunt ad illos Notarios, quorum imperitia sit manifesta, non ad alios.

XIX. De Aduocatis. *Mau.* Acquiesco his dictis: transeamus ad Aduocatos.

Luc. Non minorem vtilitatem Reipublicæ afferunt Aduocati, quàm qui gladijs, clypeis, & thoracibus armati, vulneribus receptis, Patriam, & Parentes seruant: illi scilicet Aduocati, qui negotia lapsa erigunt, fatigata reparant, defendunt Ciuium fortunas, redimunt Reorum vitam, tuentur Posterorum famam, l. Aduocati, C. de Aduocatis diuers. Iudiciorum.

Mau. Hæc qui præstant?

Luc. Aduocati illi, qui agunt quod causa exposcit, & temperantes se ab iniurijs, non sunt procaces, non probris certant, sed rationibus; non ex industria protrahunt iurgium, non aduocant ad turpe compendium; sed ita præbent iurgantibus patrocinia, vt non nisi veræ laudis augumenta quærant, l. quisquis, C. de postulando.

Mau. Quando euenit, vt Aduocati lapsa erigant?

Luc. Tunc quando sententiæ iniustæ, & erroneæ reformantur, & retractantur in melius Aduocatorum cura, & diligentia, vt sensit glos. in d. l. Aduocati, in verbo, lapsa.

Mau. Cur Aduocati negotia labi sinunt? Cur Iudices non ferunt sententias iustas?

Luc.

Luc. Ex pluribus accidere solet. Aut enim pars deficit in probationibus, & tunc non Ius deficit; sed probatio, l. duo sunt Titij, ff. de testam. tut. Aut fit error in facto, vel ob patrocinantium incuriam, vel ob Iudicis negligentiam, vel ob facti ambiguitatem; qui error excusabilis est: nam facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallit, l. 2. ff. de iuris, & facti ignor. Aut error sumitur in Iure, siuè ob Aduocati imperitiam, siuè ob audaciam Iudicis, siuè ob Iuris difficultatem: & non est nouum, vt Iurisconsulti quandoque errent, sic in l. 3. § Neratius, ff. de acquir. poss. Bruti, & Manilij Iurisconsultorum erronea deprehenditur opinio, & in l. Mutius, ff. pro Socio, Mutij error elicitur; & omissis alijs, in l. sed an vltrò, §. fin. ff. de negot. gest. refertur, Celsum eleganter deridere sententiam Proculi. In obscuris, & ambiguis errare facile est; cùm autem lites, & iudicia sint de rebus dubijs, mirum non est, si in sententijs ferendis error accidat; si dubius existat Iudiciorum euentus, l. quod debetur, ff. de peculio. Itaque viri perspicacis ingenij, subtilis doctrinæ, maturi iudicij, qui defectus supplent, emendant errores, qui facto melius discusso, veriusq. intellecto iure, probant quæ probata non sunt, & non deducta deducunt, iuxta tex. in l. eos qui, §. 1. C. de appellat. tanquàm erigentes collapsam Iustitiam, & obrutam Veritatem eruentes, digni sunt, qui ab omnibus conspiciantur summo cum honore. pro hoc adduco tex. in l Diui fratres, ff. de Iurepatronatus, vbi refertur, quòd quædam sententia, quæ comprobata fuerat plurium Iurisconsultorũ opinione, & confirmata imperiali rescripto; tandem

laudatissimi Volusij Metiani diligentia re accuratiùs librata, summa cum Imperatorum lætitia, & tanti viri admiratione, reprobata fuit, & commutata.

Mau. Dic modò; quando contingit, vt Aduocati fatigata reparent?

Luc. Tunc quando causas, diù agitatas ad exitum perducunt.

Mau. Cur Aduocati non curant citò causas expediri? Cur Iudices causas non absoluunt?

Luc. Euenit non rarò, quòd lites sint nodosæ, & indissolubiles, velut nodus Herculeus, cuius neque principium apparebat, neque finis. & propterea qui eas acriori ingenio enodant, magna digni sunt laude.

Mau. Dic modò; quando fortunas Ciuium, Reorum vitam, & famam Posterorum defendunt?

Luc. Tunc quando vel rem suam vendicanti, vel agenti pro adipiscenda, retinenda, vel recuperanda possessione opem ferunt. & quando Reum defendunt ab obiectis criminibus; seruant eius vitam, eiusq. Posterorum famam tuentur.

Mau. Videris aut nihil, aut parùm dixisse. Sunt hinc inde Aduocati; vnus fouet partem Actoris, alter Rei; nocet vnus, prodest alter. Vnus petit, vrget, offendit. Alter negat, fugit, & defendit; ergò non maior est vtilitas, quàm sit damnum, quod ex Aduocatorum professione, & officio prouenit.

Luc. Casus, seù (vt melius dicam) tempus auctor est litium: res mutantur: deficiunt personæ: vnus succedit alteri: quæ clara erant, tractu temporis obscura fiunt. Prodeunt ergò lites, & Actor, & Reus adeunt

Iudi-

Iudicem, qui nodos diſſoluat, & explicet tricas. Qui vnicam habet manum, nullam enodandi vim habet: vbi vna, & altera manus operantur, res quælibet facilè explicatur. Duo duarum partium Aduocati ſunt velut duæ Iudicis manus; niſi vterque vim faciat, deducat ſcilicet ſuæ partis rationes, nequit Iudex intelligere quid agendum ſit, quodq. vnus facere, & quid alter præſtare debeat. Vtilitas ergò conſiſtit in litium extricatione, quæ non aliundè prouenit, quàm ex Aduocatorum diſputationibus.

Mau. Totam rem optimè percepi, quam; vt memoria facilius conſeruem, verſu perſtringo.

Sunt nodi lites, tricæ ſunt iurgia, quæ fert
Caſus, & hæc Iudex ſoluit vtraque manu.

Sed dic modò; qui ſunt illi Aduocati, qui agunt, quod cauſa expoſcit?

XX. Aduocati quæ debant obſeruare.

Luc. Qui factum benè examinant, præparant leges, rationes, & auctoritates facto conuenientes; qui non conſulunt, niſi quod honeſtum eſt, & rectum; non deducunt, niſi quod in facto, iureq. ſubſiſtit. Etenim illi, qui in applicatione decipiuntur, qui proponunt leges, & concluſiones alioquin veras, ſed à facto diſcrepantes, non ſunt recta illa regula, non ſunt vera amuſſis, qua fabri lapicidæue vtuntur ad dirigenda opera.

Mau. Quamprimùm ad quendam amicum meum acceſſero, illum hoc Diſticon ſalutabo.

Si leges facto, non factum legibus aptes,
Optima cuiuſuis litis, amuſſis eris.

XXI. Aduocati quæ vitare debeant.

Sed vndè euenit, vt in foro, & contentione plerique iniurijs, & conuicijs certent, & quaſi deficiente lingua

lingua, loquantur solo manuum crepitu, sola pedum pulsatione, iratoq. vultu, & perturbata corporis agitatione excandescant?

Luc. Illi, qui Ius non fouent, alioquin periti, ægrè ferunt, si leues, aut furatæ rationes, quas afferunt, confutentur. Ideòq. præ ira clamant, & manuum, pedumq. sonitu suis dictis addere tentant auctoritatem: & quia non obtinent, irascuntur.

Mau. Isti notandi sunt velut muti.

Quod lingua nequit, audet mutus dicere vultu,
Nec valet: hinc manibus concrepat, & pedibus.

Luc. Alij verò sunt, qui minus instructi ineptas, & extraneas rationes inculcant; & existimantes cæteros non esse maiori ingenio præditos, non esse maiori scientia auctos, ineptè loquuntur, inepta repetunt, & exclamant.

Mau. Notabimus istos vti surdos.

Non audit surdus, voces ad sydera tollit,
Et secum surdos semper habere putat.

Luc. Sunt alij deniquè, qui solo quæstui addicti, nihil aliud curant, quàm clientum turbæ placere, & semper garruli, quæruliq. obmurmurantes, compendij cuiusuis occasionem perquirunt.

Mau. Fabulantur Poetæ de quodam Perdice Dedali nepote, qui à patruo ab alta turri præcipitatus, conuersus est in auem, quæ retinet idem Perdicis nomen, & vilis naturæ, quasi prioris ruinæ memor, vitat sublimia, & humi nidum construit, nec se multum extollit. Ideò Perdicibus assimilare possumus istos, quos dixisti, quadam vili querimonia, æstimare potiùs quæstum, quàm laudem.

Aptat humi nidos, vitat sublimia Perdix,
Ingemit, atque alas concutiendo, pauet.

Cæterum vulgus non distinguit. generaliter de Aduocatis malè loquitur, quasi trahantur pecuniæ sono, dissimulent veritatem, non liberè dicant, quod sentiunt, non respondeant ex animo, sed captiosis verbis rem quamcunque inuoluant, ne Clientes desperent, & quasi semper verum taceant, & verisimile suggerant, quò faciliùs excitent lucri amplioris occasionem. XXII. Vulgus de Aduocatis erroneè loquitur.

Luc. Ignarus Vulgus stultè, & inconstanter huc, illucq. voluitur, & quæ sapienter dicta, gestave audit, vel non attendit, vel statim tradit obliuioni, si quid malè, perperamve dictum sit, cadere non sinit, perpetuò reminiscitur.

Mau. Dicam ergò vulgum similem Ranæ, quæ loquax est, & dentibus caret, & natura palustris non quærit limpidas aquas, sed impuras. ecce promptum carmen.

Edentata, loquax, puris non voluitur vndis,
Sed bibit impuras Rana palustris, aquas.

Dic modò, si ista hæc Vulgus omni tempore Aduocatis obiecerit?

Luc. Excellentioribus doctrina, & eloquentia eminentioribus nullo sæculo pepercit. Demosthenes cōtra Legatos Millesiorum, qui venerant Athenas auxilij petendi causa, acriter dixerat, ne postulata impetrarent; cum iterum res agenda foret, inuasus est morbo, scilicet squinantia; loqui non poterat facundissimus Demosthenes, prodijt in concionem circūuoluto collo multa lana, & dum se à dicendo excusabat; XXIII. De Demosthenæ quid dictum fuerit.

bat; quia anginam patiebatur; Inuidus quidam, innuere volens eum à Legatis, ne in contrarium diceret, pecunia redemptum fuisse, exclamauit; non patitur anginam, sed argentanginam; exijt hoc calumniosum prouerbium, quod posteà nunquam tacuit Vulgus.

Mau. Inquiunt naturales, si contingat, vt Lupi prius aliquem videant, ille statim raucus euadit. Credimus ne id euenisse Demostheni?

Luc. Athenienses id suspicati sunt; sed qui testes pecuniæ numerationi interfuerint, non legitur. scribit Plutarchus in eius vita hoc vitium datum est Demostheni, quòd muneribus se passus est corrumpi. Legitur apud Valerium Maximum, lib. 9. de auaritia, c. 4. de M. Crasso, & Q. Hortensio, quod M. Crassus, & Quintus Hortensius, qui erant lumina Curiæ, & ornamenta Fori, benè soluente quodam Lucio Minutio à Græcia misso, defenderunt quoddam testamentum verè falsum; & ità scelus, quod vendicare debebant, inhonesti lucri captura inuitati, auctoritatibus suis texerunt. Hæc, & alia Vulgus notat; inuehiturq. in omnes; sed errat: quia squinantiam non patiuntur omnes, neque Minutij prodigalitate omnes conducuntur. Quisquis tamen sit, qui doctrina excellat, qui eloquentia emineat, honorem potius quàm quæstum ante oculos sibi proponere debet; quia si Virtutes prodeunt, Vitia non latent.

Mau. Debet ergò laboris præmium negari?

XXIV. Aduocatis an premium debeatur.

Luc. Nequaquàm. refert Cornelius Tacitus, lib. 11. annalium, quòd tempore Neronis multi insurrexerunt contrà Aduocatos, & flagitauerunt legem Cinthiam,

thiam, qua antiquitus cautum fuerat, ne quis ob causam orandam, pecuniam donumvè acciperet: sed magno strepitu se se opposuerunt Suillius, & Cassianus Aduocatorum primi, & accusantes potentiorum superbiam, qui vellent, vt ob Aduocatorum inopiam, nemo posset res suas tueri; optimè probarunt, sublatis studiorum pretijs, etiam studia peritura, vt minus decora. Sublato sanè laborum præmio, homines ignaui, ac penitus desides redderentur. Hinc Imperator (non aliter lege Cinthia innouata) certum honorarij modum constituit. Ait Vlpianus in l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. quòd res sanctissima est ciuilis sapientia, quæ pretio nummario non sit æstimanda, nec dehonestanda: quædam enim tametsi honestè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur, iure scilicet actionis vti salarium, seù merces. Ideòq. in eadem l. 1. §. in honorarijs, dicitur, Iudicem ita versari debere in honorarijs Aduocatorum, vt pro modo litis, proq. Aduocati facundia, & Fori consuetudine, & Iudicij, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat. Misera sanè conditio Aduocatorum esset, si omissis curis familiaribus, post tot impensos labores alienis negocijs gratuitò intendere cogerentur. Itaq. dum non exigunt, nisi quod vel Constitutio dat, vel vsus, ab omni procul sunt labe.

Man. Idem fateor. Cætera prosequamur Vulgi dicta.

Luc. Qui sint illi Aduocati periti scilicet, vel etiam mediocriter instructi (cæteros enim omitto) qui verum dissimulent, qui ex animo non respondeant, vt Vulgus putat; ego quidem nescio, nec fieri potest, vt credam, aliquem inueniri tantæ dementiæ, vel te-

XXV. Aduocati quando excusandi sunt, si errant.

meri-

meritatis, qui contra expressum casum legis, indubitatasvè Doctorum opiniones sciens, & prudens auderet consulere, & patrocinari. Pro quauis re etiam pretiosissima, propriam existimationem ludere, ministrare æmulantibus iustam detrahendi occasionem, se Reum nulla dignum excusatione Censori cuilibet exhibere, stultitia pessima esset, & nefandissima improbitas. Non desunt qui errant, & decipiuntur aliquando, vel ob incuriam, vel ob Iuris, factivè perplexitatem. Nec rarò euenit, vt qui ad primos animi motus aliquid statuendum putat, meliùs deindè cogitans, sententiam commutet. Hominis non est, vt semper exactam præstet diligentiam. Omnia videre, omnia speculari, omnia subtiliter discernere, transcendentis est intellectus. Parcendum est imbecillitati humanæ; quæ naturaliter inest. Quisque tamen cauere debet ne sæpiùs erret; quia primi lapsus, vel casui dantur, vel imprudentiæ; crebri verò & iterati stultitiæ tribuuntur, vel inscitiæ: deridendus foret Citharœdus, qui eadem corda semper oberraret. In dubijs, & obscuris quisque dicit, quod sibi videtur, mouetur quisque rationibus, & argumentis, quæ probabiliora credit, & efficaciora. Apud Terentium in Phormione, actu 2. Scena 3. è tribus Aduocatis vnus ait; secundus negat; tertius deliberandum censet; & apud me tertius plus sapit; quandoquidem in legali scientia, qui plus scit, plus dubitat. Bart. in l. si pater, in princ. C. de Instit. & substit. Et in nulla re præcipitandum est consilium. Satis dictum est de Aduocatis.

Sequitur, vt dicamus de Procuratoribus.

Mau. Sat habebo, si tria mihi explicaueris, qui sint Procuratores; in quo differant ab Aduocatis; & quomodò intelligendum sit illud commune dictum, vile esse Procuratoris officium. XXVI. De Procuratoribus.

Luc. Procurator est, qui aliena negocia mandato domini administrat, l. 1. ff. de Procurat. quod nomen, vti generale, comprehendit tàm illos, quibus negocia extra iudicium gerenda committuntur, quàm illos, quibus mandatur, vt pro alio agant, siuè excipiāt in iudicio, d.l. 1. §. fin. Apud Græcos non licebat in foro agere Procuratorio nomine, & hoc etiam fuit ab initio in foro Romanorum obseruatū, ex lege 12. Tabularum, quæ præcipiebat, vt quisque in Ius vocatus per se veniret, & vi duceretur; quomodò autem duceretur etiam æger ad Prætorem; legitur apud Aul. Gell. noct. attic. c. 1. lib. vlt. Quia autem non minimam incommoditatem habebat, quòd per alium quis non posset agere, vel conueniri; cœperunt homines per Procuratores litigare; nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio; itemq. aliæ multæ causæ sæpè hominibus impedimento sunt, quominus rem suam ipsi exequi possint. §. 1. Institt. de ijs, per quos ag. possumus. Ideòq. vsus Procuratorum per quàm necessarius dicitur, d.l. 1 §. fin. ff. de Procurat.

Hæc nomina Procuratoris, & Aduocati inter se confunduntur, sæpius vnum ponitur pro alio quatenus significant eos, qui alterum in Iudicio defendunt: sed hæc est inter vtrumque differentia; quia Procurator est, qui absentem defendit in Iudicio cum mandato procuræ. Aduocatus autem est, qui præsentis caussam defendit sine mandato. Ideòq. Procurator præ- XXVII. Procuratores in quò differant ab Aduocatis.

stat

ſtat præſentiam, & operam loco principalis, ſcilicet comparet in Iudicio, proteſtatur, inſtat. Aduocatus autem præſtat rationes, & Ius ſuggerit. Ideòq. Aduocatus debet eſſe Doctor, & Iuriſperitus; Procurator autem poteſt eſſe quilibet, ſicuti quilibet poteſt eſſe Actor, vel Reus, etiam ſi ſit idiota. Eſt & alia differentia; quia nemo inuitus cogitur mandatum alterius, ſeù Procurationem ſuſcipere, l. inuitus, C. de Procurat. Aduocatus autem compelli poteſt, vt patrocinium ſuſcipiat, l. 1. §. ait Prætor, il 1. & ibi gloſ. ff. de poſtul. l. nec quicquam, §. Aduocatos, & §. fin. ff. de off. Proconſ.

XXVIII. Procuratoris officium an ſit vile.

Ideòq. multi dicunt, Procuratoris officium eſſe vile, per text. in l. ſi quis procurationem, C. de Decur. lib. 10. Idq. per quemcumque, etiam infamem, poſſe exerceri, per text. in §. fin. Inſtit. de except. Officium verò Aduocati nemo eſt, qui neſciat, laudabile eſſe, l. 1. & l. laudabile, C. de Aduocat. diuerſ. Iudiciorũ. Opinor ego diſtinguendum eſſe inter eum, qui alterius mandatum ſimpliciter ſuſcipit, & inter eum, qui ſe gerit pro cauſarum Patrono, & publicè profitetur patrocinari. Primus enim vile lucrum ex ſola opera cõſequitur; ſecundus verò laudabile, & honeſtum ex ſcientia, & virtute. Quò fit, vt quæſita per Cauſidicos, & cauſarum patronos inter quaſi caſtrenſia connumerentur, l. fin. ibi, Iuris diſertiſſimis Patronis cauſarum, C. de inoff. teſtam. & non aliter loqui videntur prædicta Iura, ſi benè conſiderentur. Dicitur in præalleg. l. ſi quis procurationem, C. de Decur. lib. 10. Curialem, ſeù conſiliariũ immemorem eſſe ſui generis, & infamiſſimam vtilitatem ſequi, ſi procurationem

nem facultatum alterius susceperit: & ità loquitur de simplici mandato suscipiendo ad extraiudicialia per eum, qui maiori oneri, & dignitati adstrictus est; non autem de patrocinio in iudicio prętando per Iuris professorem, & patrocinari solitum. Similiter in præalleg. §.fin. de except. prohibet Imperator opponi cōtra Procuratores exceptionem infamiæ; ne dum de his altercatur, ipsius negocij disceptatio protelетur. Ideò non permittit, quod verè infamis, ille scilicet, cuius infamia notoria est ex sententia, vel confessione, possit Procuratoris officium exercere: nam talis expressè prohibetur pro alio postulare, l. 1. §. secundo loco, ibi, item notauit personas turpitudine notabiles, ff. de postulan. Sed prohibet dumtaxat exceptionem infamiæ opponi contra eos Procuratores, qui nō sunt verè, & notoriè infames, sed tales sunt, vt super tali exceptione infamiæ longa altercatio, & cognitio requireretur in præiudicium cognitionis causæ principalis. Ensis est gladius militaris, & cæteris nobilior. Detulerunt ensem Imperatores, deferunt Reges, Duces, Principes, Milites, & Equites: ex eo tamen, quòd cōsuetudo eius delationem permiserit etiam vilibus, necnon deterioris conditionis hominibus, non ideò inferri potest, vile esse ensem deferre. Mandatum ab alio omni tempore ad diuersa negocia susceperūt insignes Viri. Viri nobiles alieno nomine negocia gesserunt. Viri scientia, & moribus celebres omni æuo in foro causas dixerunt. Non ideò hæc agere, censeri debet res infamis, etiam si qui homines abiecti generis hæc gerere viderentur. Sed non est opus longiori contentione, habemus text. expressum de Iure Cano-

nico in c. 1. & 2. 3. q. 7. quòd infames non possunt esse Procuratores, vel patroni causarum. Et de Iure Ciuili infamibus prohibitũ est ingredi Curiam Principis, l. sed, & milites, §. scribit autem, ibi, ingredi Vrbem eis non licet, ff. de excusat. tutor. In omnibus Curijs Principum Procuratoris officio funguntur Doctores, ideòq. pari passu ambulant cum Aduocatis, & Aduocati dicuntur in c. venerabilem, §. quod autem, de elect. æqualiter dicitur carebit Aduocato, & Desẽsore. & in c. quia Episcopus, 5. q. 3. dicitur, Episcopus debet habere Aduocatum non malæ famę suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inuentum, & ibi gloss. exponit Aduocatum, idest Procuratorem. In Camera Imperiali, vt refert Gail. practic. obseruat. lib. 1. obseruat. 43. num. 6. & seq. Honorabile est officium Procuratoris ratione personarũ, & ratione loci; nemo enim recipitur in numerum Procuratorũ nisi sit Doctor, vel Licentiatus; & Camera Imperialis est Concistorium Principis, Imperatoris scilicet, & Statuum, ibiq. Procuratores, sicut Aduocati inuiti, tanquã gerentes munus publicum, coguntur patrocinari, nisi ex causa excusentur: ibi deniq. omnis Procurator est etiam Aduocatus, sed non è conuerso. Eorum deniq. Procuratorum cõditio pinguior, & vberior est, grandiusq. vber habet quàm Aduocatorum. Idem est in Romana Curia vbi Procuratores omni tempore extiterunt Iuris Vtriusque Doctores scientia, & probitate insignes. Vestrius in Praxi lib. 2. cap. 19. Galles. in opuscul. legal. tit. de vsu Iudiciorum Palatij Apostolici, vers. idoneus quoque Procurator.

XXIX. Procuratores in magnis Curijs quales sint.

Mau. Inter istos igitur Procuratores, & Aduocatos

quænam sit differentia, adhuc non intelligo.

Luc. Breuiter dicam. In Iudicijs, vt aliàs diximus, quæritur de duobus, de Facto scilicet & de Iure. Factum probatur, vel ex rei euidentia, l. si irruptione, ff. fin. regund. vel per confessionem partis, l. 1. ff. de confess. vel per iuramentum, l. 1. ff. de iureiuran. vel per testes, & instrumenta, l. in exercendis, C. de fide instrum. Ius autem probatur vel ratione, l. scire, §. sufficit, ff. de excusat. tut. vel lege, §. oportet, authent. de Iudicibus, vel authoritate, l. si chorus, §. his verbis, ff. de legat. 3. Procurator versatur circa Factum; Aduocatus autem circa Ius. Ille prius factum considerat; probat deindè apud acta; de illo tandem instruit Iudicem. Iste iura examinat; leges, & conclusiones in puncto præparat; postremò de eo, quod iura volunt, Iudicem informat. Se habent inter se Procurator, & Aduocatus, quemadmodum Natura, quę rem producit, & Ars, quæ rem perficit. Sic à Natura producitur aurũ, idemq. ab Arte perficitur. Indigent Clientes diligentia Procuratoris, & studio Aduocati: sicut filij indigẽt auxilio Matris nutrientis, & opera Patris erudiẽtis.

XXX. Procuratores quid obseruare debeant.

Quisquis sit, qui in Curijs magnis Procuratoris munere fungi velit, vltra legum scientiam, quam non mediocriter callere debet, necesse est, vt Seniores, & Peritiores sequatur, à quibus non solis auribus, sed oculis percipiat, quæcunque in causis agendis obseruanda sunt; ne aliàs semper quasi in tenebris palpitaret, semper dubius quid ageret, semper incertus quò se verteret, cum Clientum damno, & sui ipsius dedecore experimentum faceret suæ imperitiæ. Ea quæ longum vsum, & exercitium, longamq. requirunt

tractationem, non est, vt quisque, quouis etiam praeditus ingenio, putet se assecuturum solo cubiculari studio, sectando neminem ex eis, qui practici sunt.

Mau. Bubo auis est feralis, debilisq. ad volandum, commoratur in cauernis, audit mugitum Bouis, & ipse etiam vellet mugire, sed longè dissimilem vocem emittit, ideòq. à Boue bubo appellatur. Hinc eos, qui praxim non à Senioribus, & practicis addiscere profiterentur, sed vi proprij ingenij hoc irriderem metro.

Audit Bubo bouem, sed vocibus à boue differt:
Ille grauis mugit, sibilat iste leuis.

XXXI. Procuratores quid vitare debeãt. *Luc.* Aliud etiam cauere debet quicunque hoc officiũ gerere cupit cum vera laude, & honore; vt semper studeat veritatẽm indagare: neque ita suae opinioni insideat, vt nullo iure capi, nullaq. ratione moueri patiatur: pertinaciae enim vitiũ reddit homines quoscunque prorsus contemptibiles.

Mau. Vidi saepiùs Echinos, suculos illos spinosos, qui in agris, vt aliquid sentiunt, dubitant ne apprehendi possint; & putantes à Venatore se fore tutos, se inuoluunt suis spinis ad modum pilae; & ita iacent quasi erectis aculeis: sed nihilominus, vel pedibus, vel baculis à quolibet transeunte voluuntur, & reuoluuntur, & ponuntur in sacco. Eos itaque, qui in sua consistunt opinione, qui in suis dictis perseuerãt, qui nulla volũt ratione moueri. exẽplo Echini hoc Carmine notarẽ.

Dum timet apprehendi spinis se inuoluit Echinus:
Sed pede cuiusuis voluitur, vt pilula.

XXXII. De litigatoribus insidiãtibus Aduersario. Iam verò tempus est, vt vltimo loco prodeant litigatores.

Luc. Inter beneuolos, eosq. qui cõposito animo nihil vo-

volunt, nisi vt locus sit veritati, & iustitiæ: non dicitur lis propriè, sed iurgium: quasi modica dissensio, quæ facilè sedari potest. Inter eos autem, qui accenso pectore student per vim, & iniuriam inimicum supplantare; non iurgium dicitur, sed lis: quasi grauior disceptatio proueniens ab ira, & vlciscendi cupiditate, Omissis ijs, inter quos sola extant iurgia, sermo noster sit de lites habentibus, qui iniucundiores, & intractabiliores sunt quouis graueolente, & delirante infirmo. Infirmorum miseremur ob infirmitatis casum: Litigatoribus succensemus ob eorum animi peruersitatẽ: quippè qui relicta pace, suis clamoribus, & litibus vellent totum Orbem implere, & perturbare.

Mau. Si notaueris aliquas odiosas litigatorum qualitates, facilè consentiam.

Luc. Nonnulli sunt, qui semper cogitant, quibus insidijs, & fallacijs destruere posint aduersarium: sed ipsi destructi remanent, exemplo Capanei, qui, vt refert Veget. lib. 4. de re militari, ad bellum Thebanum profectus, nouum genus insidiæ inuenit, admouit primus scalas muris: sed à Thebanis tanta lapidum mole fuit obrutus, vt quasi fulminibus remansit extinctus. Isti iugiter capsas antiquas reuoluentes; commiscẽtes veteres, corrosasq. scripturas; putantes inimicum superare, eum in ius vocant: at superati deplorant amissam litem, emunctamq. crumenam.

Mau. Non rarò euenit, vt dum quis putat, reuoluta aliqua saxorum massa, aliquid pretiosum inuenire; tũc exeat scorpius, & mordeat manum, saxa commouentẽ.

Si latet in cumulo saxorum Scorpius, vllum
Non lædit: sed tunc mordet, vt eruitur.

XXXIII. De litigatoribus nō acceptantibus recta cōſilia.

Luc. Alij ſunt, qui volentes alicui litem intendere, conſulunt quidem Viros probos, & excellentes: qui ſi cauſam non probant, ſi ad litigandum non cohortantur, non impellunt; recuſantur vt ſuſpecti; vel prætermittuntur tanquàm tardi ingenij. Adeunt itaque alios, donec inueniant aliquem ęquè duri capitis, qui eorum ſatisfaciat voluntati; qui ſimili ſenſu vrgeat ad litem: aſſeueret nihil ſcrupuli adeſſe, & victoriam polliceatur.

Mau. Idem faciunt Cornices: ſumunt nucem roſtro, & quia eam frangere nequeunt, quærunt lapidem in quem proijciant, & frangant.

Cornix obſtinata nucem, quàm frangere roſtro
Non potuit duram, proijcit in lapidem.

Luc. Conſilium eſt velut cibus, qui ſi inciderit in animum inſincerum corrumpitur, & putreſcit. auidi litium non ſeruant recta conſilia, quæ diſſuadent litem.

XXXIV. De litigatoribus Iudici fucum facientibus.

Sunt alij artificioſi quidem, ſed prauæ naturæ, qui toruo collo Iudici fucum faciunt, quærunt eum mendacijs à recto abducere, & ſimulatis miſerijs in eorum partem trahere.

Mau. Iſti diſcunt à Vulpe, quæ fingit ſe mortuam, quādo vult volitantes aues vnguibus rapere, & vorare.

Exemplum eſt fraudis, quæ ſe Vulpecula fingit
Exanguem, vt faciles fallere poſſit aues.

Luc. Sed detectis mendacijs accidit, quòd legitur de quodam ſcurra, qui ſpontè cadebat in terram, & quaſi crure fracto exclamabat, rogabatq. tranſeuntes, vt eum tollerent: quoſcunque autem, qui accedebant eum leuaturi, irridebat. Tandem malè cecidit; & verè

crus

crus fregit: implorabat auxilium, nemo commouebatur; quia innotuerat eius simulatio. & hoc est, quod lucrifaciunt mendaces, quando vera dicunt, eis non adhibetur fides.

Occurrunt alij istis contrarij, qui proprijs desiderijs obcæcati, postposito pudore audēt conuicijs lacessere Iudices, & prouocare. XXXV. De litigatoribus Iudices prouocantibus.

Mau. Si quemquam istius generis cognoscerem, monerem versu.

Dum te non lædunt Crabrones lædere noli:
Si irritare cupis viribus impar eris.

Luc. Sunt alij, qui aduersarium tàm crudeli persequuntur odio, vt non fundum, non domum, non pecuniam petant: sed expetant pellem, sanguinem, vitā, & cor. Famam verò omni tēpore lacerent, & dilaniēt. XXXVI. De persequētibus aduersarium, & eius famam lacerātibus.

Mau. Sunt peiores Coruo, qui cadauera perquirit, & putrida pascitur carne.

Vrget dira fames Coruum, vrget dira cupido;
Corrupta carnis, putrida quæq. vorat.

Luc. Istis non dissimiles sunt alij, qui non contenti diù creditorem fatigasse, potiùs quàm soluant, eligunt commutare diem cum nocte. XXXVII. De debitore condemnato & latitante.

Mau. Verùm est, die latitant, noctu ambulant Vespertilionis more.

Odit claram Solis Vespertilio lucem:
Alas obscura nocte capit pauidas.

Luc. Sunt alij, qui debitore latitante ob metum mādati, pulchrum prædiolum, amœnum viridarium, domum ornatam pro modico credito, præuia subhastatione, emptore supposito, sibi cum magno debitoris detrimento adiudicant, occupant, vsurpant. XXXVIII. De creditore vsurpante bona debitoris.

Mau.

Mau. Imitantur Miluum, qui circuitu quodam placido, & quasi nullo alarũ ſtrepitu, rapit Gallinã, & pullos.

Miluus gallinam incautam, pulloſq. volatu
Illudit molli: circuit, atque rapit.

Sed erga eorum defenſores quomodo ſe gerunt litigatores iſti?

XXXIX. De litigatore moleſto patrocinantibus.

Luc. Sunt quidam adeò moleſti, vt nulla ſiuè loci, ſiuè temporis habita ratione, quouis loco, quauis hora ad latus Procuratoris ſoliciti confugiunt, anxij garriunt ad aures Aduocati, & ſemper eandem ſuæ litis, ſuæ dubitationis repetunt cantilenam.

Mau. Infeſtæ ſunt Culices, quæ dormientis, aut quieſcentis aures eodem ſtridore ſemper obtundunt.

Permoleſta Culex deſeſſi ſtridet ad aures,
Et non mutato murmure, pulſa redit.

XL. De litigatore omnia promittẽte, & nihil dãte.

Luc. Sunt alij tàm garruli, & ſuſurrones, qui ſuis defenſoribus omni tempore omnia pollicentur: ſed finita cauſa, ſi quid aſſecuti ſunt, ſecum portant, abeunt nulla relata gratia accepti beneficij.

Mau. Idem faciunt Hirundines. poſteaquam ſub nõſtro tecto ſuos educarunt pullos, abeunt nulla relata gratia communicati Hoſpitij.

Quæ pullos aluit, quæ nidum ſtruxit Hirundo,
Immemor Hoſpitij, non reditura volat.

XLI. De paupere litigante cũ potentiore.

Sed ego quaſi mutata Scena, ſi placet, repręſentabo alios litigatores miſeratione forſan dignos.

Luc. Videamus, qui ſint.

Mau. Occurrit primo loco pauper quidam, qui cauſam amiſit, quia litigauit cum potentiore.

Luc. Si Catulus prouocat Leonem ad pugnam, neceſſe eſt, vt vincat Leo.

Mau.

Mau. Haud tamen iustum est, vt pauper quod sibi debetur perdere debeat propter aduersarij potentiam.

Luc. Neque etiam rationi, & honestati conuenit, vt quis superbè agat cum eo, cui reuerentia debetur. sine lite, sine odio, sine conuicijs potest faciliùs inferior consequi, quod sibi à potentiore debetur.

Mau. Iste sæpiùs modestè petijt, volebat transigere: ille parum quid offerebat: iratus tandem pauper voluit totum, & litem cœpit.

Luc. Contentus igitur sit de toto, qui totũ perdidit: Inter fabulas legitur quædam huic proposito satis accommodata, Leo, Asinus, & Vulpes societatem inierunt hoc pacto, vt præda diuideretur. Asinus, qui stolidus est, prædam distribuit in tres æquas partes. Leo indignatus, quia ob maiorem industriam, & dignitatem cæteris nõ esset æquandus, repente Asinum inuadit, & dilaniat. Vulpes, rem meliùs considerans, totam ferè prædam Leoni attribuit; & vix pauca quædam sibi seruat. Leo, comprobata distributione, Vulpi alludit. Humilitate ergò, & dexteritate vincitur, & placatur tumidus animus: & è conuerso flamma quo magis exagitatur, magis inualescit.

XLII. De litigatore cõquerente, quòd intellecta non fuerit eius bona ratio.

Mau. Insurgit alter, qui conqueritur de contraria sententia lata; inquit ipse, quia nemo intellexit suam rationem.

Luc. Solent quidam homines contentiosi, & blaterones semper æquiuocare, & falli in suis argumentationibus. At quoniam ipsi soli ius intelligunt, ipsi soli sibi ius ministrent. Lex erat apud Athenienses, quòd in nuptijs conuiuæ non excederent triginta, ad quos numerandos quidã deputabantur Gynoconomi nuncupati.

cupati. Ad quasdam nuptias (vt legitur) accessit parasitus, quidã non vocatus, qui vltimo loco ad cõuiuium occubuit. Gynoconomi, qui numerarunt illum supra triginta, iusserunt abire: at ille dicebat, numerate denuò, à me sumenses initium. Hoc pacto non erat futurus supernumerarius; Eiectus fuit, reiecta fuit eius ratio fallax; Cõquerebatur nihilominus de iniuria.

XLIII. De litigatore maledicẽte Procuratori, qui causam intricauit.

Mau. Ecce sequuntur alij tres, quorum vnus maledicit suo Procuratori; Alter Aduocato; Tertius, tanquàm arbiter; damnat Procuratores, & Aduocatos;

Luc. Quid ait primus.

Mau. Dicit elegisse Procuratorem, qui sibi videbatur diligens, sagax, loquax, & secundùm cor suum; sed nihil boni fecit; quia intricauit causam, & eam perdidit.

Luc: Voluit suo genio satisfacere; noluit modestum Procuratorem; patronum prudentem omisit; elegit audacem rabulam, qui pari rabie, pariq. stridore cum aduersario certaret, & contenderet cum Iudice. Si læsus remansit, ipse auctor est sui mali; reus est ipse, non alius.

Sed quid dicit secundus?

XLIV. De litigatore maledicẽte Aduocato, qui non tetigit punctum.

Mau. Irascitur, quia eius Aduocatus allegauit multa, nec vnquàm tetigit punctum.

Luc. Non desunt celebres Aduocati, qui omnes tangunt, tolluntq. difficultates, qui non à longè, non ad balistas, vt vulgò dicitur, allegant. si ex istorum ordine neminem elegit; vadat.

Audiamus tertium.

Mau. Iste tanquàm sapiens, auditis duorum querelis, arbitramentum fert contra Procuratores, & Aduocatos,

catos, quasi nihil curent præter pecunias, & munera.

Luc. Iste vir bonus non cognoscit quales sint Clientes: si qui soluunt, non iactant suum; at multi repe- riuntur, qui prima, & secunda vice satisfaciunt quidem, sed tertia, vel quarta prorsus deficiunt. XLV. De Clientibus, qui ab initio satisfaciũt, deindè deficiunt.

Mau. Memini legisse de quodam viro, qui magna promisit Iunoni Samiæ, si thesaurum reperijsset: illud reperijt, & statim posuit Iunoni ouem auream, sequẽti anno argenteam, tertio æream: sequentibus verò nihil. Hinc fortè isti cauti litigatores exemplum sumpserunt.

Luc. Sunt etiam alij, qui dedignantur quidquam eorum defensoribus elargiri: nimirum putant eos consecutos esse tantam ex patrocinio præstito gloriam, quantam ipsi ex accepto beneficio perceperunt vtilitatem. XLVI. De magnis cliẽtibus nõ soluentibus, & Chiragra affectis.

Mau. Huius sẽtẽtiæ fuit Dionysius, qui vt refert Aristotel. lib. 9. Moralium Nicomachiorum c. 1. in princ. accersiuit Citharędum in nuptijs, & promisit, quòd quantò meliùs caneret, tantò maiorem reciperet mercedem. Cum autem suauiter cecinisset Citharędus, posceretq. mercedem: respondit Dionysius, se persoluisse debitum, par pari retulisse, pro voluptate reposuisse voluptatem: quasi tãtam Citharędus percepisset ex eodem cantu, & auditorum attentione voluptatẽ, & gloriam, quantam Dionysius, & alij ex cantus suauitate voluptatem sensissent, & delectationem.

Luc. Dimittendi sunt isti, qui, post laborem eis impensum, afficiuntur Chiragra. Sol occidit, aliud ne superest?

Mau.

XLVII. Gratias Maurus agit Lucio, & datur finis Operi.

Mau. Nihil. Satis diximus; Peruenimus ad finem diei, & operis. Sustulisti omne impedimentum, omnem obicem, omnem nebulam, omnem dubitationem. Lætus sum: spe firma pergam: prosequar mea studia, te auctore, te duce.

Viue diu Luci, cælestia numina reddant,
Reddant pro meritis munera sancta tuis.

Luc. *Te ducat virtutis amor, spes firmet honoris:*
Sit dulcis dulci parta labore quies.
Dispice quid rectum, quid iustum, nosce quid æquum:
Et lites odio, Legis Amator habe.

FINIS.



Pag.	Verſ.	Errata.	Corrige.
15	8	lib. 1.	lib. 4.
[illegible]	9	dant ſemper	ſemper dant
25	5	melius malle, adde,	melius eſſe malle
31	4	nequieties	nequities
32	4	libentius	liberius
37	21	Hanc	Nunc
44	21	Sat. 13.	Satirarum lib. 5.
51	9	niminiam	nimiam
70	11	etiam	eam
88	29	ipſe magis	indè magis
100	30	virtus	virtutis
106	24	paruas	paucas
106	25	facunda	fœcunda
127	3	domus	domui
155	4	Epigram. 10.	Epigramma 50.
169	27	Sat. 6.	Satirarum lib. 2.
170	14	in aſinaria	in aularia act. 3. ſcen. 5.
177	23	hæc	hac
196	14	honoris qui is, adde,	honoris quod ille qui ijs
198	21	iacente	tacente
213	28	gregium	gregum
293	26	mugitos	mugitus
336	9	quadam	quodam
363	11	hæc	hoc
378	5	furatæ	fucatæ
in apoſtilla	pag. 369.	quamlibet	quemlibet